



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Sectio Quarta. De Subjecto & præcepto Baptismi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

veniatur obligatio præcepti.  
 Quæ omnia, ut cuius plenius constare possint, tantaque claritate ac certitudine, quod insolentis planè foret pervicaciæ nol-

le credere, operæ pretium duxi novam instituire sectionem de subjecto & præcepto Baptismi.

SECTIO QUARTA.

De Subjecto & præcepto Baptismi.

1. Anabapti-  
 fix docent  
 parvulos  
 non posse  
 validè bap-  
 tizari.

**D**eclaratam præcedenti sectione necessitatem Baptismi respectu parvulorum pertinaciter negant Anabaptistæ, cau-  
 fantes eos nec debere, imò nec posse validè baptizari, quos etiam ideo rebaptizant, cum pervenerint ad adultam ætatem; sed supposita capacitate, de qua statim dissero, & admissio peccato originali cum Ecclesia Catholica, de quo in tract. de Virtutibus & vitijs in communi, arbitrator necessitatem evidenter satis ostendi ex generalitate verborum Scripturæ, Concilij Florentini & Tridentini, quæ videri possunt sectione præcedenti conclusionis 2. in principio. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Puer extra uterum matris est capax Baptismi.

2. Constat  
 Scotus si  
 puer sit se-  
 cundum  
 omnes suas  
 partes in  
 utero.

**D**ico, extra uterum, quia existens secundum omnes suas partes in utero, non potest baptizari; Non (inquit Scotus 4. dist. 4. q. 3. n. 3.) quia coniunctus est cause corruptionis (sic quippe non posset habere Baptismum Flaminis, vel Sanguinis, quorum utrumque est falsum) sed quia Baptismus est lotio vel ablutio in aqua: sed parvulus sic in utero non potest lavari; quia nec sic immediate tangi ab aqua. Loquitur Doctor de suo tempore, quando nondum erat inventa, vel saltem ipsi nota methodus, quam hodierni medici affirmant, lavandi puerum in utero per metrenchyten.

3. Si objicias, parvulus in utero matris inficitur peccato Adæ; ergo etiam potest ab illo liberari. Respondeo cum Doctore supra n. 4. Sed non per istud Sacramentum; quia dum est in utero matris capax non est huius Sacramenti.

Per idem respondeo ad secundum argumentum apud Scot. supra n. 1. Parvulus in utero potest liberari à servitute temporali; patet ex manumissione matris; ergo &c. potest ergo

ibi baptizari. Respondeo, inquam, neg. con. Rationem disparitatis iple assignat n. 4. Quia quantum ad servitute temporalem filius dum est in utero non est distinctus à matre, non enim habet dominium dominium in parvulo, nisi quia in matre: sed quantum ad servitute, vel libertatem spiritualem... ista respectu distinctam personam: parvulus autem in utero est ita distinctus in persona à matre, sicut extra uterum.

His præmissis de puero in utero; Conclusio definitur contra Anabaptistas & alios hæreticos in Concil. Trident. sess. 7. de hoc Sacramento can. 12. his verbis: Si quis dixerit neminem esse baptizandum nisi ætate, quæ Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit. Et can. 13. Si quis dixerit, parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesie; anathema sit.

Eandem veritatem pridem definiat Concil. Milevitanum II. c. 2. sequentis tenoris. Item placuit ut quicumque parvulos recentes ab utero matrum baptizandos negat.... anathema sit.

Confirmatur ex cap. Firmiter de summa Trinitate ibi: Sacramentum verò Baptismi.... tam parvulus quam adultus in forma Ecclesie à quocumque rite collatum proficit ad salutem. Et c. Maiores de Baptismo ibi: Cum ergo Circumcisio tam adultis, quam parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne Baptismus, qui successit loco ipsius, & generalior tamen existit, cum tam viri, quam femine baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis, quam parvulus est conferendus.

Accedit perpetua Ecclesie traditio, cuius testis est D. Aug. lib. 4. de Baptismo c. 23. ibi: Quod traditum tenet universitas Ecclesie, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe non possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quando etiam silendo & vagiendo, cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstreperant, & gestantur.

**Secl. 4. De Subject. & prac. Baptis. Concl. 1. 311**

tamen nullus Christianorum dixerit eos man-  
ter baptizari. Et alijs pluribus locis. Te-  
stes quoque sunt reliqui Patres.

Non excipio Nazianzenum, quoniam  
tamen consilium det Oratione in San-  
ctum Lavacrum, ut feculis omnibus peri-  
culis infantes triennium expectent, aut paulo  
minus, seu plus, ut & quid mysticum audire, &  
respondere possint: at tamen ad questionem:  
Nam & illos (infantes) baptizemus? Res-  
pondet: Maxime quidem, si periculum ali-  
quod imminet; melius est enim nondum rationis com-  
potes sanctificari, quam non signatos & imita-  
tos vita excedere. Quidni & melius sit statim  
parvulum baptizare, quam ad triennium  
expectare?

Profecto illa dilatio parvi aut nullius  
esset fructus, cum etiam tunc parvuli de  
fidei mysterijs nihil, aut vix aliquid captant.  
Et qualicumque fructus sit, merito præ-  
fertur ipsi status amicitia Dei, liberatio à  
dæmonum insidijs, & similia: potissimum  
cum ob inopinatos casus, quibus infirmior  
illa res frequentius est exposita, sæpe ad-  
fit periculum salutis, ubi non putatur  
adesse.

Porro quamvis in Scriptura nullibi ex-  
pressè præcipitur, aut approbatur Baptis-  
mus parvulorum, tamen etiam nullibi ex-  
pressè prohibetur, aut reprobat; imò  
non obscure ex Scriptura colligitur Act.  
16. v. 5. Cum autem baptizata esset, Lydia,  
& domus eius. Et v. 33. Et tollens eos, Pau-  
lum & Silam, in illa hora noctis, Lavit pla-  
gas eorum: & baptizatus est ipse, (custos car-  
ceris) & omnis domus eius continuo. Quis au-  
tem prudenter dubitet in istis familijs  
fuisse parvulos? Ergo & hi ab Apostolo  
baptizati fuerunt. Quidni?

Sicut enim sine distinctione qualibet Mosai-  
ca lex clamabat: Anima cuius præputij caro  
circumfisa non fuerit, peribit de populo  
suo: ita nunc in fidei vox intonat Evan-  
gelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &  
Spiritu Sancto, non intrabit in regnum  
Dei: ab hac generalitate nec sexum nec æta-  
tem excludens. Ita Pontifex Innoc. III. in  
in cap. Maiores de Baptismo.

Ac post pauca reddens rationem hujus  
generalitatis, inquit: Absit enim ut universi  
parvuli pereant, quorum quotidie tanta multi-  
tudo moritur, q. in & ipsis misericors Deus, qui  
neminem vult perire, alijs remedium procur-  
raverit ad salutem. Quod autem illud tem-  
poris legis Evangelicæ, nisi Baptismus per  
se institutus in remedium contra culpam  
originalem?

Teneo ergo, inquit Scotus 4. dist. 4. q. 1.  
num. 2. oppositum (contra Pelagium, qui

negabat parvulos baptizandos) quia, cum  
secundum Scripturam, & fidem parvuli contra-  
hant originale peccatum, ad eius deletionem, qua  
necessaria est, sunt baptizandi.

Solum obitare videtur præceptum Chri-  
sti Matth. ultimo v. 19. Euntes ergo docete  
omnes gentes baptizantes eos &c. ubi man-  
dat Apostolis ut prius doceant, quam bap-  
tizent: ergo parvulos instructionis inca-  
paces non oportet baptizare.

Respondet illis verbis significari ordi-  
nem, qui servari debet in promulgatione  
Euangelij, quæ adultis fieri debebat, ad  
quos convertendos Apostoli mittebantur.  
De quibus etiam intelligitur illud Marci  
ultimo v. 16. Qui crediderit, & baptizatus  
fuerit, salvus erit, ut patet ex contextu. Nam  
versu 15. dixerat Christus: Predicite Evan-  
gelium omni creatura, utique adultis, qui  
soli prædicationis capaces sunt, ergo de  
istis intelligitur, quod sequitur: Qui  
crediderit &c. Quamvis nec in adultis re-  
quiratur actus fidei ad valorem Baptismi,  
ut patet ex dictis disputatione præcedenti;  
bene ut Baptismus proficiat ad salutem.

Ita explicat hunc locum Innoc. III. in  
cap. Maiores dicens: Ceterum ex vi literæ  
satis patet, prædictas auctoritates (1. Petri 4.  
v. 8. Caritas operit multitudinem peccatorum.  
Et Luca 7. v. 47. Remittuntur ei peccata  
multa, quoniam dilexit multum) intelligendas  
esse tantummodo de adultis, qui habent multitu-  
dinem peccatorum: cum de parvulis non possit  
intelligi, qui peccato tantum originali tenentur.  
Similiter & illa auctoritas est solvenda: Qui  
crediderit & baptizatus fuerit &c. cum non  
possint credere parvuli, sed adulti: & ob hoc  
tota auctoritas hæc intelligenda est de adultis:  
nè ad alios prima, & ad alios secunda clausula  
referatur. Quamvis nonnulli concedant, quod  
parvuli credunt non per usum, sed per habitum  
fidei, quem suscipiunt in Baptismo: sicut & alia  
multa verba, secundum communem usum lo-  
quendi non ad actum, sed ad aptitudinem refe-  
riuntur.

Hunc utrumque intellectum exprimit  
Doctor Subtilis supra respondens ad hoc  
argumentum Marci ultimo: Qui non cre-  
diderit, condemnabitur: Parvulus non po-  
test credere; ergo per Baptismum non po-  
test salvari: ergo frustra baptizatur. Ad  
aliud, inquit, patet, quod debet intelligi de  
adultis per illud, quod præcedit. Qui credide-  
rit & baptizatus fuerit. Vel potest dici quod  
qui non crediderit, nec actu, nec habitu, con-  
demnabitur; quia secundum Apst. Hebr. 11.  
Sine fide impossibile est placere Deo &c.  
Parvuli autem, etsi non possint habere actum,  
possunt tamen habere habitum.

Equidem

Cum reli-  
quis Patri-  
bus,

Etiam Na-  
zianzeno

Quamvis  
consultat ex-  
spectare triennium,

Que tamen  
dilatio vi-  
detur pa-  
rulois,

Et parvulis  
periculosa.

6.

Baptismus  
parvulo-  
rum nullibi  
reprobatus;

Act. 16.

Imò non  
obscure in  
Scriptura  
infirmatus;

Et in cap.  
Maiores de  
Baptismo,

Et scio  
ratione de-  
claratus:

7.

Neque ob-  
stat Christi  
præceptum  
Matth. ult.

Ut potè tam-  
tum respectu  
adultio-  
rum,  
Mar. ult.

8.

Ut explicat  
Innoc. III.  
cap. Maiores,

Cum Do-  
ctore Sub-  
tili;

9. Et constat ex voluntate Christi

Equidem meritò voluit Christus priùs gentes esse docendas, quàm baptizandas; nisi enim in mysterijs fidei, & Sacramentorum essent instructæ, nec ipsæ vellent baptizari, nec parvulos suos baptizandos offerre.

Meritò hoc sic statuentis; Rom. 5.

Et quoniam hi absque propria voluntate personali, per voluntatem Adæ constituti sunt peccatores, & damnationi obnoxij, juxta illud Rom. 5. v. 12. In quo omnes peccaverunt, congruebat divinæ misericordię, ut etiam absque propria voluntate, sive intentione suscipiendi Sacramentum, in vitam justitię regenerentur per voluntatem 2. Adam, qui providit omni ætati juxta suam capacitatem.

Quia parvulus originale sine proprio personali consensu contrahunt. Innoc. III.

Unde dicit Innoc. III. c. Maiores §. Verum quidam: Originale igitur, quod sine consensu proprio personali contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti: actuale vero, quod consensu contrahitur, sine consensu nunime relaxatur.

Inde non sequitur: eadem esse ipsius Eucharistię.

Neque sequitur: si baptizandi sunt parvuli, ergo etiam communicandi: quippe Baptismus est omninò necessarius ad salutem, non ita communicatio. Unde Eucharistię non est instituta in lacte, proprio cibo parvulorum, sed in pane & vino, cibis hominum adultorum: Baptismus autem institutus est in aqua, quæ unicuique adhibetur ad sordes ablendas.

10.

Quòd si à me petitur quomodo infantes possint fieri membra Christi, exuere veterem hominem, induere novum, & similia? Respondeo, per remissionem peccati originalis, per gratiam justificantem, id est, charitatem, aliasque virtutes supernaturales, fidem, & spem, quæ parvulo in Baptismo infunduntur, juxta Clementinam unicam de summa Trinitate in fine: Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per Baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in Baptismo informantem gratiam & virtutes) tamquam probabiliorē, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologia magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.

Presens in Baptismo datur gratia juxta Clem. unic. de sum. Trin. Aliasque virtutes supernaturales infunduntur.

Quæ etiam est sententia Scoti.

Quæ etiam est sententia Doctoris Subtilis 4. dist. 4. q. 2. n. 3. ibi: Ad questionem dico, quod, sicut est creditum parvulo in Baptismo originale dimitti, ita & creditum est esse sibi gratiam infundi; quia .... Deus pro statu nature lapsa nulli remittit culpam, nisi cui dat gratiam: nullum enim liberat à perditione, nisi quem ordinar ad hoc ut sit filius regni. Et licet Deus de potentia absoluta posset dare gratiam sine fide (ponendo quod sint duo absoluta

simpliciter distincta) tamen quia Dei perfecta sunt opera Deut. 32. & quando hominem sanat, totaliter sanat, ideo conceditur, quod non infunditur gratia parvulo sine fide & sine spe: sed in ipsa justificatione, attestante Concil. Trident. sess. 6. c. 7. cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipi homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem.

Reliqua argumenta hæreticorum, quibus impugnant Baptisma parvulorum, quia facilem habent solutionem, brevitate gratiæ prætereo. Vide Bellar. lib. 1. de Baptismo c. 9.

Supposita itaque capacitate & utilitate, pro necessitate erit

CONCLUSIO II.

Baptismus in re, extra casum Martyrij, & alterius extraordinarię providentię divinæ, ut sanctificationis in utero, aut præservationis à peccato originali, est parvulis simpliciter medium necessarium ad salutem.

PRO hac conclusione, præter Scripturam generalem Joannis 3. & locutiones indehinitas Conciliorum, stat frequentissima auctoritas Sanctorum Patrum. Sufficit illa D. Aug. Epist. 28. ad Hier. Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti eius participatione à vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis seshinatur & curitur, quia sine dubio creditur alter eos in Christo vivificari non posse. Et l. 3. de Origine Animæ c. 9. Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præventes, pervenire posse ad originalium indulgentiam delictorum, si vis esse Catholicus.

Jure ergo meritissimo ab omnibus hominibus exploditur opinio cujusdam Auctoris, qui putatur docuisse aliquos parvulos in necessitate salvari sine Baptismo, ob specialem parentum devotionem, puta votum expressum signo externo sanctæ crucis cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis: est enim exceptio sine fundamento à lege generali generaliter promulgatâ, & generaliter semper ab Ecclesia intellectâ.

Tertium

**Sect. 4. De Subject. & prac. Baptif. Concl. 2. 313**

Testem advoco D. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 21. ubi citans verba Joannis 3. ait: *Vtique nullum excipit, non infantem, non aliquam praeventum necessitate.* Alioquin similes exceptiones alibi obviae, v. g. in peccatore mortuo imponente, quia attritionem bona fide putavit contritionem, aut laboravit ignorantia invincibili confessionis, vel impossibilitate confessarij.

12. Sed quod quatio fundamentum hujus temerariae, ne plus dicam opinionis? Certè non dignum tanto Doctore, cui adscribitur; & ideo fortè in novissimis exemplaribus & sententia & fundamentum expuncta. Quia, inquit, ante Christi adventum salvabantur parvuli in fide parentum, eis applicata per aliquod externum signum, absque restrictione ad aliquod signum determinatum. Ita lego apud Wiggers q. 68. a. 1. & 2 n. 6.

Verumenimverò, etiam gratis admissio illo antecedit, nam contrarium cum D. Aug. docuimus disp. 1. sect. 2. conclus. 5. qualis consequentia; ergo etiam nunc salvantur, saltem in casu necessitatis? An ignoravit Auctor ille, legem veterem modò cessasse tam in ratione legis, quam in institutione, & non solum mortuam, sed etiam mortiferam esse? An fortè in necessitate etiam licita erit, & utilis Circumcisio? Quomodo ergo verum est, quod dixit Christus Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.*

13. Dices, extra casum necessitatis; nam & nos excipimus casum Martyrij; & cum Ecclesia Catholica asserimus sufficere Baptismum in voto. Respondeo has exceptiones fundatas esse, tum in Scriptura, quae pluribus locis attribuit Martyrio, amori Dei super omnia & perfectè poenitentiae viam justificandi, tum in definitionibus Conciliorum jam saepius allegatis. Porro remedium legis naturae in necessitate justificare parvulos novi Testamenti, neque lego in Scriptura, neque in Concilijs, neque in sanctis Patribus.

Quo igitur fundamento statuitur talis voluntas Christi, qui generaliter in nova lege pro remedio justificativo parvulorum determinavit Baptismum, idque in materia tam obvia & facili, ut vix casus possit contingere, in quo parvulus natus non possit baptizari? Neque propterea dici debet manus domini abbreviata in lege Evangelica circa parvulos; sed potius è contra; nam, ut advertit Wiggers supra, modò sine comparatione longè plures salvantur infantes, quàm antiquitus antè adventum Christi Domini. Adde, gratiam baptismalem multum excedere in intensione, & extensione gratiam olim collatam per Cir-

cumcisionem, aut aliud remedium legis naturae.

Nec mirandum quòd in lege veteri remedium legis naturae suppleverit defectum Circumcisionis; hæc quippe non pro omnibus instituta erat, & saepe sine periculo non poterat adhiberi; Baptismus autem facilissimus est, & universalis, ut proinde nulla fuerit necessitas aliud remedium in defectum illius ordinandi.

Si rursus objicias; adultus justificari potest, & salvari per votum Baptismi absque reali ejus susceptione; ergo etiam parvulus non per proprium, quia ejus incapax; ergo per alienum; sicut in aliena voluntate peccavit.

Respondeo distinguendo ultimum consequens, per alienum purae creaturae, nego; per alienum Christi Dei & hominis, concedo. Sic namque scriptum & definitum est in Concil. Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali §. 3. *Si quis hoc Ada peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humane naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quàm per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis iustus, & sanctificatio, & redemptio; aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiae ritè collatum tam adultis, quàm parvulis applicari; anathema sit.*

Fateor probabile est, purum hominem posse de congruo mereri alteri suam praedestinationem in executione, id est, primam gratiam, in ea perseverantiam, ac aeternae vitae consecutionem, ut patet ex orationibus Ecclesiae, & fidelium pro invicem, juxta illud Jacobi 5. v. 16. *Orate pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua.*

Videturque expressa sententia D. Aug. I. de bono Perseverantiae c. 22. ibi: *Si qui s. August. sunt nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus. Fortassis enim sic praedestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur & accipiant eandem gratiam, quæ velint esse, atque efficiantur electi.*

Quamvis, inquam, probabile sit hominem iustum posse alteri mereri gratiam justificantem mediatè, hoc est, mereri de congruo applicationem Sacramenti, auxilium efficacis, & contritionem in adyto, cum quibus insalubriter est connexa gratia habitualis; nullatenus tamen probabile est, de facto quempiam alterum justificare immediatè, hoc est, per actum suum sive contritionis, sive amoris Dei super omnia, mereri de congruo alteri gratiam habitua-

R r sine

Et Baptismus omnia facile valet applicari.

14. Nec obstat quòd in adultis sufficit Baptismi votum proprium.

Ex qua non sequitur sufficere in parvulis alienum, Trident.

Nisi mediatoris Christi.

Cujus meritum in Baptismo omnibus applicatur.

15.

Potest tamen purus homo de congruo mereri Jac. 5.

Alteri gratiam sanctificantiem mediatè.

Nullatenus immediatè.

3. Ambros.

12.

Wiggers.

Cujus fundamentum rejicitur.

13.

Et obiecto solvitur.

Maximè cum nullibi constet de tali Christi voluntate exceptiva.

sine applicatione Sacramenti, aut proprio eius actu poenitentiae vel dilectionis; cum ne quidem Christus taliter nobis meruerit justificationem.

16. Nisi per extraordinariam providentiam Deus aliter supplet:

Intellige, via ordinaria; non enim repugnat, quod Deus propter merita Christi, per extraordinariam providentiam suppleret illud, quod in Baptismo parvulorum impotentia impediret; id tamen lege ordinaria esse statutum, non audeo asserere, utpote nec fundatum in auctoritate, nec ratione. Pium quidem esset sic omnibus fieri, sed quis impium dixerit, si contrarium eveniat, nisi & ipse impius esse velit?

S. August.

Eleganter & appositè Divus Augustinus lib. de bono Persev. cap. 8. Non simus, inquit, ingrati, quod secundum placitum voluntatis suae, in laudem gloriae gratia sua tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione; ut si inde neminem liberaret, non esset iniustus: ex uno quippe omnes in condemnationem non iniustam iudicati sunt ire, sed iustam. Qui ergo liberatur, gratiam diligit; qui non liberatur, debitum agnoscat.

Quod est non faciatur, non erit iniustus

Et lib. de Correptione & gratia cap. 7. Et qui per atatem, inquit, parvulam nec credere poterunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis abjelvi, quo tamen non accepto mortui perierunt; non sint ab illa consensione discreti, quam consistat esse damnatam euntibus omnibus ex uno in condemnationem.

Rom. 11. v. 13.

Cur autem istum potius, ait idem S. Doctor lib. de Praedestinatione S. cap. 8, quam illum discernat, in scripturis sunt iudicia eius, & investigabiles viae eius. Melius enim & hic audimus & dicimus, o homo tu quis es qui respondeas Deo: quam dicere a deamus quasi noverimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.

Rom. 9. v. 20.

Planè convenit quod ita differatur genus humanum (utor rursùm verbis praestantissimi ministri gratiae D. Aug. lib. 12. de Civit. c. 12.) ut in quibusdam demonstretur, quid valeat misericors gratia, in ceteris quid iusta vindicta.... In qua propterea multo plures, quam in illa sunt, ut sic ostendatur quid omnibus deberetur. Et quo, ut ait Enchr. c. 99. etiam istos debitum iudicium duceret, nisi indubitata misericordia subveniret.

Qui iustitiam velle non potest

17.

Sed omnes vult salvos fieri 1. Tim. 2. S. Prosper.

Haec mature, ut debuit expèdens S. Prosper, & ex opposito penitentiã introspectiens dictum Apostoli 1. ad Tim. 2. v. 4. Qui (Deus) omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. lib. 2. de Vocacione Gentium c. 24. quaerit: Quomodo omnes homines salvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendae gratiae sint incapaces. Et respondens sibi-ipsi ait: Non irreligiosè

arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiae partem, qua semper est impensa universis nationibus: qua utique si bene, physice & moraliter, eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iurarentur. Omnia namq; exordia parvulorum, totaq; illa principia necdum rationalis infantia sub arbitrio iacent voluntatis alicuius, nullo modo eis, nisi per alios, consuli potest: & consequens est illos ad eorum pervenire consortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu.... Sicut autem circa maiores praeter illam generalem gratiam, parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exercitur, ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Qua quidem nec illis, qui renati non sunt in parentibus defuit, sed his, qui renati sunt praeparentibus assuit: ita ut multos saepe, quos suorum pietas cejerit, alienorum cura servavit, & ad regenerationem venerit per extraneos; quibus non erat providenda per proximos.

Neque enim, ut bene advertit D. Aug. l. de bono Persev. c. 12. fato cogitur Deus illis infantibus subvenire; illis autem non subvenire;.... aut res humanas in parvulis non divina providentiã, sed fortuitis agi casibus operabimur;.... aut parentum negligentia vitribuendum, quod parvuli sine Baptismo moriantur, ut nihil ibi agant superna iudicia, tamquam ipsi, qui hoc modo male moriantur, parentes sibi negligentes, voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint: quid dicam, quod parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, exspirat? Plerumque enim seipsum parvulis, & paratissimum, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen volente non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.

Itaque Deum posse suplere defectum Baptismi, non dubito; porro de facto in omnibus suplere sive per se immediate, sive per bonam voluntatem parentum non credere, noli dicere, noli docere, si vis esse Catholicus.

Firmissimè autem tene & nullatenus dubites, parvulos decedentes ex hac vita in originali, quia carent iustitiã & Spiritus sancti gratiã in aeternum Dei visione privandos, & si credimus S. Fulgentio de fide ad Petrum cap. 27. Ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos; iuxta illud D. Aug. Ser. 14. de verbis Apostoli c. 3. Venturus est Dominus, & iudicaturus de vivis, & mortuis, sicut Evangelicum loquitur duas partes facturus est dextram & sinistram. Sinistra dicitur: Ite in ignem aeternum, hoc est, combustionem aeternam, ut ibidem exponit. Dextera; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum....

Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes.

Quia tamen non habuerunt in se delectationem actualem peccati nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentiunt poenae ignis acerbiter, quam utique sentiunt illi, qui peccaverunt peccato actuali. *Musima sane* (verba sunt D. Augusti. Enchr. c. 93.) omnium poena erit eorum, qui propter peccatum quod origine traxerunt, nullum insuper addiderunt. *Quae autem qualis, & quanta, quamvis definire non possum* (ait idem Sanctus Doctor lib. 5. contra Jul. c. 11.) non audeo tamen dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret.

Ecce necessitas Baptismi parvulorum tantam evidentiam contestata, ut non nisi pervicacia possit adversus illam nervos contentions intendere. Sed quoniam haec propria est haereticis, ut omittam Pelagianos, qui absolute negabant peccatum originale, quos multis libris editis constantissime oppugnavit D. August. *Episcopus, testimonio Prosperi lib. 3. de vita contempl. c. 31. acer ingenio, suavis eloquio, secularis literaturae peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostrae Catholicus, in questionibus persolvendis acutus, in revincendis haereticis circumflectus, & in explicandis Scripturis canonicis cautus; omisso (dico) Pelagianorum dogmate, quod evertit, destruxit atque subtravit D. Aug. & admisso peccato originali, contra conclusionem haeretici nostri avi*

Obiiciunt Primò, quod Christus dixit Matth. 19. v. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum caelorum;* Ergo sine Baptismo possunt salvari.

Respondeo negando consequentiam; nam Christus tantum voluit parvulos ratione aetatis nihil habere malitiae actualis, quod eos excludat à regno caelorum, prout habent adulti, quibus parvulos opponit.

Secundò. Accedit, Christum ibi locutum fuisse de parvulis dumtaxat Judaeorum, ac aliorum fidelium, qui iustificati erant per Sacramentum Circumcisionis, aut remedium legis naturae; quippe Baptismus tunc necdum erat praecipit, sed consilij solum; ut ostendimus Sect. praecedenti conclus. 4. adeoque minime necessarius necessitate medij. Loquitur autem de parvulis, qui possent venire; igitur dudum erant nati, ac liberati ab originali.

Et dato, quod inter illos aliqui adhuc fuissent obnoxij damnationi; quid prohibet

dicere, per impositionem manuum Christi (Et cum i imposuisset eis manus, ibi inde v. 15.) damnationem primi peccati evasisse?

Præterquam, quod Scriptura illa explicari possit, & à multis ita explicetur, ut significet solum capacitatem parvulorum ad regnum caelorum consequendum, dummodo in eis regeneratione munderetur, quod generatione contraxerunt. D. Aug. l. 1. de Peccatorum meritis c. 19. *Sed forte hoc quidem non congruenter dicitur, quod parvulorum vitam laudaverit Dominus, dicens talium esse regnum caelorum, cum verax sit ille intellectus, quod humilitatis similitudinem in parva aetate posuerit.*

Obiiciunt Secundo; Gen. 17. ait Deus Abraham v. 7. *Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in regenerationibus suis fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Ergo saltem filij fidelium, qui intelliguntur per semen Abraham, sunt Deo grati sine Baptismo.

Respondeo negando consequentiam; vel enim locus ille intelligitur de filijs carnalibus Abraham, & tunc non est ad rem; quippe nihil aliud illis promittit, quam quod introducentur in terram Chanaan & contra inimicos à Deo defendentur, quousque mandata illius servaverint. Nam sequitur v. 8. *Daboq; tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem aeternam, erog; Deus eorum.*

Conditionem adjicit v. 9. *Et tu ergo custodias pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis.* Et quod illud quæso pactum? Hoc, inquit v. 10. *est pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum &c.* En præceptum Circumcisionis in remedium peccati originalis pro filijs carnalibus Abraham, cui in lege nova successit Baptismus.

Vel certè intelligitur locus iste de semine spirituali Abraham, id est, de fidelibus & iustis, ut videtur insinuari Heb. 11. v. 13. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti (Abraham, Isaac, Jacob) non acceptis promissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.* Atque tunc mala est deductio; cum parvuli sine Baptismo in lege gratiae non censentur spirituale semine Abraham, sicut ante legem gratiae non censentur sine Circumcisione, aut alio remedio.

Enimvero teste Apostolo Rom. 9. v. 6. *7. & 8. Non omnes qui ex Israel sunt, & sunt Israelite: neque qui semen sunt Abraham, omnes filij; sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filij*

R 1 2

Ibidem.

Quartò.

S. Augusti.

21.

Impugnatur secundò.

Gen. 17.

Respondeatur primò.

Ibidem.

22.

Respondeatur secundò.

Hebr. 11.

Romen. 9.

Item. Quædam enim erit mixtura.

Ex his colligitur Baptismi necessitas.

19. Quædam hæreticis impugnat primò. Matth. 19.

Respondeatur primò.

Secundò.

20. Tertiò.

carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, estimantur in semine.

Et qui illi? Certè non alij quàm spiritaliter regenerati, de quibus ibidem Apostolus v. 30. Apprehenderunt, inquit, iustitiam: iustitiam autem, quæ ex fide est, hoc est, Sacramento fidei, quod est Baptismus. Etenim parvulis baptizari est credere, imò & pœnitere, ut docet D. Aug. supra ibi: Si autem propterea rectè fideles vocantur (parvuli) quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem verba gestantium dia bolo, & huic saculo renuntiare monstrantur? Totum hoc in spe fit vi Sacramenti, & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ. Et ibidem c. 27. Quis, inquit, nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?

S. Aug. 8.

23.  
Impugnatur  
tertiò  
ex Ap. 1.  
Cor. 7.Responde-  
turs

Trident.

R. om. 9.

S. Aug. 8.

24.

Epsim. 50.

Epsim. 2.

Objiciunt Tertio; Apostolus 1. Cor. 7. v. 14. filios fidelium vocat sanctos dicens: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Ergo filij fidelium Baptismus non est medium necessarium.

Respondeo negando consequentiam. Sanè oppositum consequentis videtur definire Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali §. 4. his verbis: Si quis parvulos recentes ab utero matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti &c. anathema sit.

Porò locus Apostoli planè est extrarem. Quis enim ambigat Jacob & Esau natos ex parentibus fidelibus & sanctis? Et tamen dicit Scriptura Rom. 9. v. 11. 12. & 13. Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni personalis egissent aut mali (ut secundum electionem prophetum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.

Et quid oderat in Esau (querit D. Aug. Epist. 105.) anequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Non enim (inquit idem Sanctus lib. 1. ad Simplicium q. 2.) Deus odit Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem.

Regius quoque Propheta David filius erat viri fidelis, & tamen de seipso humiliter confitetur Psal. 50. v. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Et ideo exclamat Apostolus ad Ephes. c. 2. v. 3. Eramus & nos natura filij iræ sicut & ceteri. An forte, quia credidit se & ceteros natos ex parentibus infidelibus? Nonne de seipso testatur Galat. 1. v. 14.

Proficiebam in Iudaismo supra multos coetaneos Gal. 1. meos in genere meo abundantius emulatur exsistens parentum meorum traditionum?

Quomodo ergo natura filius iræ, si illi filij sancti sunt vera sanctitate, quorum unus saltem parens est fidelis? Aut quomodo vir infidelis sanctus per mulierem fidelem, cum vera sanctitas & iustitia repugnent infidelitati? Nonne scriptum est: Iesus ex fide vivit ad Heb. 10. v. 38. Et: Sine fide impossibile est placere Deo. Heb. 11. v. 6.?

Indubiè, etiam secundum illos hæreticos, qui soli fidei tribuunt justificationem, Scriptura allegata ex 1. Cor. 7. nequaquam potest intelligi de vera & immediata sanctificatione viri infidelis per mulierem fidelem, & mulieris infidelis per virum fidelem.

Et magis dignos existimabimus filios, quibus Apostolus attribuit veram internam iustitiam propter fidem unius parentis, quasi hoc ipso, quò ex uno fidei parente nascuntur, sancti & iusti sint non indigentes lavacro regenerationis? Profectò nec ratio nec auctoritas cogit. Etenim de hoc lavacro universaliter pronuntiat idem Apost. ad Titum 3. v. 5. Non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis spiritus sancti &c.

Quis igitur erit verus sensus illius Scripturæ? Inter varias hujus loci expositiones, quæ videri possunt apud Valsq. disp. 149. c. 2. probabilissima videtur illa D. August. quam habet lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 12. & ipsissimis eius verbis hic subijcio: Proinde quod ait Apostolus cum infideles moneret, ut se ab infidelibus coniugiis non disjungerent; sanctificatus est enim vir infidelis in uxore, & sanctificata est mulier infidelis in fratre, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: aut sic est accipiendum; quemadmodum & nos alibi, & Pelagius cum eandem ad Corinthios Epistolam tractaret exposuit, quòd exempla iam præcesserant, & virorum, quos uxores, & parvulorum, quos mariti lucrificerant Christo, & parvulorum, ad quos faciendos Christianos, voluntas Christiana, etiam unius parentis, sufficit: aut si, quod magis verba Apostoli videntur sonare, & quodammodo cogere, aliqua illic intelligenda est sanctificatio, quæ sanctificatio autem viri vel mulier infidelis in coniuge fidei, & quòd sancti nascantur filij fidelium; sive quia in matris utero mulieris, à concubitu conceptus, quicumque vir, vel semina id in loco dederat: nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figuratè accepta sunt, sive propter aliam quam-



quamlibet, que ibi aperte proposita non est, ex ipsa necessitudine conjugiorum, atque filiorum sanctitatis aspergimur, illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad demittenda peccata, nisi Christiana & Ecclesiastica institutione, & Sacramentis efficiantur fideles.

Nam nec coniuges infideles, quamlibet sancti & iusti coniugibus bareant, ab iniquitate mundantur, que à regno Dei separatos in damnationem venire compellit, nec parvuli de quibuslibet sanctis iustisq. procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati, pro quibus tantò impensius loqui debemus, quanto pro seipsis minus possunt.

Ita sincerissimus Evangelij præco, verbi divini solidissimus interpres, veritatis & gratiæ fidelissimus assertor, Apostolicæ vitæ simul & doctrinæ diligentissimus custos Sanctus Augustinus, de quo hoc testimonium reliquit S. Vincentius Ferrerius: Quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam auctoritatem Augustini. Et nos igitur hæc contenti sumus.

Ex qua utiq. discimus, vel Apostolum solum loqui de sanctitate aliqua extrinseca, sicut omnia alia, que junguntur rebus sacris aliquo modo sanctitate asperguntur, seu sancta reputantur, juxta illud Rom. 11. v. 16. Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Ubi Apostolus Judæos, etsi tunc nequam & infideles, ostendit non debere contemni à Gentibus, sed potius amari & honorari propter sanctitatem radicis, Patriarcharum videlicet & Prophetarum, quam extrinsecè communicabant.

Unde scitè dixit Scotus 4. dist. 4. q. 3. d. 3. Fructus in quantum est aliquid arboris, sequitur conditionem arboris: tamen in quantum est aliquid in se, potest habere conditiones oppositas arbori in se: potest enim fructus esse mollis, & arbor dura. Sic in proposito, quia iustitia & iniustitia respicit personam in se, non ut communem vel divisam localiter, respectu alterius persona: & ideo iustitia vera & intrinseca potest competere proli, licet non matri, & e converso.

Aut Certè, si de intrinseca sanctificatione sit sermo, non in re, sed in spe probabilis conversionis conjugis infidelis ratione consortij cum fidele, nec non Baptismi parvulorum, sanctæque educationis operâ partis fidelis. Quia verò hæc spes ex toto corrui: quoad conjugem, si fiat separatio, & pro magna parte quoad filios (natum quippe est fieri, quod pro-

les sequatur conjugem infidelem, maxime si sit vir) ideo Paulus separationem dissuadet: equidem subjungens v. 15. Quod si infidelis discedit, discedat fidelis.

Vnde enim, inquit v. 16. scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? Nisi utriusque sicut dixit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesijs doceo.

Hoc est, nisi cum eo permanens, juxta Dei voluntatem vivas, verbis & exemplis ad veram fidem commovendo & exhortando, ac tandem per Dei gratiam convertendo.

Concludo hunc discursum verbis D. Augusti supra: Nemo de hac te fallatur, & fallat. Omnes admit atque auferi iste sancta Scriptura sensus manifestus ambages. Quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis huius, sic ab origine tractum est & peccatum in hac carne peccati, propter quod sanandum, & propagine attrahitur, & voluntate auctum, atque ad ipsam carnem resuscitandam, medicus venit in similitudine carnis peccati, qui non est opus sanis, sed egrotantibus, nec venit vocare iustos, sed peccatores.

Sed quoniam omnia exordia parvulorum, totaque illa principia needum rationalis infantie sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, nisi per alios consuli potest, ut supra diximus ex S. Profpero, si pupillis, inquit S. Aug. supra cap. 13. opem ferre precipimus, quanto magis pro ipsis laborare debemus, qui destitutiores & miseriores pupillis, etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitur, quam per se ipsi flagitare non possunt? Et si mandavit Deus unicuique hominum de proximo suo Ecclesiastici 17. v. 12. quanto magis parentibus de filiis, Dominis ac Pastoribus de subditis? Dico itaque:

### CONCLUSIO III.

In extrema necessitate tenetur quilibet parvulum baptizare jure naturali charitatis, etiam cum certo periculo vitæ, si sit probabilis spes eum juvandi, & mors mea non sit futura causa gravioris mali. In gravi necessitate cum jactura partis fortunarum; & si fue-

R r 3

1. Cor. 7.

27. Concluditur præcedens difficultas. S. August.

Idem

Ecclesi. 17.

S. Vincent. Ferrerius.

26. Ex quo discimus Apostolum loqui

Rom. 11.

De sanctificatione extrinseca.

Scotus.

Vel intrinseca in spe.

si fuerit parens, Dominus aut Pastor, etiam cum iactura vitæ.

certò alioquin perituris in æternum.

Accedat testimonium discipuli, quem diligebat Jesus, Epist. 1. c. 3. v. 16. In hoc, inquit, cognovimus charitatem Dei, quam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus ( alioquin certò certius in æternum damnandis ) animas ponere.

28. Quid sit extrema necessitas spiritualis,

Extremam necessitatem spiritualem ( de ea enim hæc agimus ) voco periculum æternæ damnationis, ex quo se aliquis nullo modo potest eripere, ita ut sine mea opera salus ei physicè aut quasi physicè dici queat impossibilis. Gravis autem necessitas est, quando homo physicè quidem potest salvari, sed valde difficulter.

Hæc est sententia D. Aug. omnium Ecclesiarum Doctores Eximij lib. de mendacio ad Consentium c. 6. ibi: Temporaliter planè vitam suam pro æterna vita proximi non dabitur Christianus amittere. Hoc enim præcepit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim & ait: Hoc est mandatum meum &c. Non enim quisquam est ita despicuus, ut dicat aliud, quam saluti temporaria hominum consuluisse Dominum, vel faciendo, quod præcepit, vel præcipiendo, quod fecit.

Quid gratia.

In extrema est gravis obligatio, Math. 22.

Nunc probatur prima pars conclusionis; quia si umquam, tunc saltem obligat præceptum charitatis diligendi proximum sicut seipsum. Matth. 22. v. 39. Secundum autem præceptum simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum. Quemadmodum ergo quilibet rationabiliter debet velle potius milles mori corporaliter, quam semel æternaliter, adeoque ad evitandam propriam damnationem certam debet quòdecumque periculum vitæ corporalis subire; quidni etiam idem debeat facere ad averteendam certam damnationem proximi, quam sine ejus opera nequit evitare? Profectò gravius malum excogitari non potest, respectu cujus quòdecumque incommodum temporale leve & pro nullo quasi æstimandum est.

Augustinum sequuntur cæteri Ecclesie Patres & Doctores, quando baptizandus est filius alicujus Christiani: nam ( inquit Lor. 2. 2. sect. 3. disp. 28. n. 32. in fine ) cum filij infidelium non sint baptizandi invitis parentibus, non esset lubvenendum filio infidelis in eodem articulo.

29.

Prout nos docuit Jesus Christus, Joan. 15.

Exemplum dedit nobis unigenitus filius Dei Jesus Christus, ut quemadmodum ipse fecit pro nobis, ita & nos pro proximo nostro faciamus. Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ait Christus Joan. 15. v. 12. Et ostendens in quo hæc dilectio consistat, subdit v. 13. Maiorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Fecit quod docuit. Cæpit Jesus facere, & docere, Act. 1. v. 1.

Sed hæc limitatio nobis non probatur, tum quia parentes possunt esse voluntarii, tum maxime quia per Baptismum parvullum jam jam morituri nulla sit injuria parentibus, ut plenius constabit ex infra dicendis de Baptismo filiorum infidelium. Si tamen occurreret casus per possibile, vel impossibile, in quo infans morti proximus non possit baptizari sine injuria parentum, vel fidei Catholice, fateor me non debere succurrere baptizando cum periculo vitæ; quippe præceptum charitatis non obligat cum injuria proximi; vel Dei: siquidem non sunt facienda mala ut eveniant bona. Rom. 3. v. 7. & 8. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor? Et non ( sicut blasphemamur, & sicut ait quidam nos dicere ) factamus mala, ut eveniant bona; quorum damnatio iusta est.

Autor. r. Verbo & exemplo,

S. Bonavent.

Quis tam impius ut audeat dubitare? Nec solum pro amicis, sed etiam pro inimicis. Non credo, loquitur Seraphicus Doctor S. Bonaventura parte 1. stimuli divini amoris c. 12. quod omnes Angeli de paradiso possent suis intelligentijs capere hanc vehementiam charitatis, qua Dominus noster Jesus voluit tanta pati pro nobis vilissimis servis, immo nequissimis inimicis.

Cum ergo, teste D. Aug. supra c. ultimo, Ad sempiternam salutem nullus decedat: sit opulante mendacio; profectò nec parvullus illius salus procuranda venit adjuvante injuria, que magis Deo displicet, quam mendacium. Quamvis nonnumquam contingat, ut actio, quæ esset injuria extra necessitatem, in ea non censetur injuriola, sed secundum dictamen charitatis.

Trident. Qui erat verus propitiator.

Joan. 10.

Hinc siquidem proposuit Deus propitiatorum per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Trident. sess. 6. c. 27. in fine. Ipse de se testatur Joan. 10. v. 14. & 15. Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me mee. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis, ut vitam æternam habeant,

Patet in acceptione rei alienæ, quam justitia prohibet cuiuslibet non indigentis, charitas autem dicitur licitam extremè laboranti; etenim in extrema necessitate omnia sunt communia, neque divisio honorum

bonorum potuit præjudicare juri, quod unuquique habet ad vitam suam conservandam ex bonis, ad id à Deo creatis, & hominibus concessis. Et credam ego Deum concessisse jus parentibus in filios, quando extremè periclitatur æterna eorum salus, alioquin per Baptismum, à Deo ad id institutum, certò consequenda? Non credam.

32. *Sotus.* Neque illud arbitror verum, quod Lorca supra imponit Dominico Soto lib. de regendo sacro memb. 2. q. 2. post 6. conclusionem; parvulum scilicet non esse baptizandum cum periculo vitæ, quando necessitas istius parvuli ab extrinseco inducta est. Quid enim refert, ait Lorca, si inducatur ab extrinseco, si verè est extrema? Immo quantò plus est ab extrinseco, & violentè proveniens ab aliena malitia, tantò est major necessitas.

Perinde est si illa necessitas sit ab extrinseco inducta si ab intrinseco.

Dummodo ab illa se non possit parvulus recipere.

Sed quidquid sit de necessitate, an major sit, an minor, vel æqualis, parùm interest, dummodo sit talis, à qua puer non potest se eripere absque mea opera. Entimvero fundamentum hujus obligationis non desumitur ex necessitate mortis, sed ex necessitate damnationis, supposita certa morte. Quid si dixerò submersionem pueri, casu in flumen prolapsi, magis esse necessariam, quàm occisionem ex imperio tyranni? Nonne imperium liberum, & executio similiter voluntaria? Submersionem autem naturalis est. Esto tamen sic necessitas ab extrinseco major, ut vult Lorca, ad summum probat obligationem succurrendi in tali casu cum periculo vitæ, in quo est verbum ejus verum.

33. *Sotus.* Sed ubi Sotus id negat? Loco, inquit, citato Hæc sunt verba Soti. Et quartò arguitur. Quia secundùm Doctores, nemo obligatur baptizare puerum cum periculo propriæ vitæ: saltem quando periculum est ab extrinseco, puta ex malitia tyranni prohibentis me baptizare puerum. Ergo à fortiori, nec teneor cum tali periculo correre fratrem: nam major est necessitas puero Baptismi, quàm adulto correptionis.

Præfatæ doctrinæ non contradicit Sotus.

Quis dubitat? Nam peccator seipsum potest corrigere, non sic puer seipsum baptizare. Ergo hic Auctor negat puerum istum esse baptizandum, si sit in periculo mortis. Præclara consequentia! Cæcus sit oportet, qui verba textus inspiciens, non illico videt Sotum agere de periculo vitæ propriæ, neutiquam vitæ parvuli baptizandi. Et sanè si loqueretur de casu conclusionis, quomodo vir adeo in Theologia versatus contrarium ausus fuisset asserere se-

cundum Doctores, cum omnes omninò in conclusionem conspirant? Quod ut meliùs intelligas, & clariùs perspicias,

Nota principalem conclusionem, pro cuius probatione Sotus addert simile Baptismi, esse istam. *Persona privata nullum est peccatum; timore mortis, aut amissionis notabilis fama, aut bonorum exteriorum cessare à correptione. ubi correptio non est simpliciter necessaria, quanvis certum sit correptionem profuturam.*

34.

*Sotus.*

*D. Thom.*

Hanc probat quatuor distinctis argumentis, quorum ultimum est de Baptismo jam allegatum. Confirmat insuper primòs. Nam jogum Domini suavi est, qui non obligat nos ad opera difficillima &c. Secundò, ex sententia S. Thomæ 2. 2. qu. 26. a. 5. ubi querit, an teneatur homo diligere salutem spirituales proximi potius quàm corpus proprium: & facit tertium argumentum ad partem negativam; quia homo non tenetur exponere vitam corporalem pro salute spirituali proximi, sed hoc est perfectorum: & respondet concedendo: Quia, inquit, non est tanta cura nobis vitæ spiritualis proximi, quanta est corporis proprii, nisi in casu quo quis tenetur providere saluti illius. Quod intelligit, inquit Sotus, quando alicui incumbit ex officio: vel quando vitæ nostra est simpliciter necessaria saluti proximi.

Ex quo infert Concl. septimà; quòd si daretur casus, quo vitæ corporalis privati hominis esset simpliciter necessaria saluti spirituali proximi, tunc, inquit Sotus, non dubito, quin teneretur ille mori pro correptione fratris: nam aliàs præponeret vitam charitati: quæ est ratio nostræ, & communis doctrinæ.

35. Imò potius eandem confirmat. vit.

Ista si maturè expendisset Lorca, citius deprehendisset Sotum communem sententiam non negasse, sed potius confirmasse exemplo correptionis fraternæ; si enim hæc obligat cum periculo vitæ corporalis si extrinseco, si extrinseco, quando simpliciter est necessaria saluti spirituali proximi: quidni etiam ex sententia Soti obliget Baptismus cum eodem periculo, quando est simpliciter necessarius, puta in casu conclusionis, ad æternam parvuli felicitatem?

Ex his apparet non defacile cuilibet esse credendum, quando citat aliquem pro sententia, communi opinioni Doctorum contrariâ; sed accipe textum, lege, relege, ne secutus errantem, ac malè citantem, & ipse erres in citando.

Hæc pro excusatione Soti, qui causam dedit illi errori, per distinctionem periculi extrinseci

extrinseci ab intrinseco, quæ erat omnino extra propositum. Sed revertamur ad conclusionem, in qua

36.  
Quæ intel-  
ligitur dum  
est probabi-  
lis spes pro-  
ximum ju-  
vandi.

Dixi Primò: *Si sit probabili spes &c.* Quippe pro bono spirituali incerto, haud tenemur exponere bonum summum & maximè diligibile post bona spiritualia, certissimo periculo; Charitas siquidem dicitur magis amandum esse bonum, quod obtinetur, quàm de quo nulla est probabilis spes, quòd obtinebitur. Unde & ipsum lumen naturæ videtur id scripsisse in cordibus hominum; ideo namque oportet exponere vitam temporalem, ut proximus accipiat spiritualem; ergo ubi hæc est impossibilis, illam exponere est quædam prodigalitas propriæ vitæ; sicuti est quædam prodigalitas bonorum fortunæ, quando illa consumuntur pro vita, quam probabiliter non possunt conservare.

37.  
Et mors  
mea non sit  
futura gra-  
vioris mali  
causa.

Dixi Secundò: *Et mors mea non sit futura &c.* Quia potest contingere, quòd vita mea sit maximè necessaria pro bono communi spirituali, ut si jam velim baptizare hunc infantem cum manifestissimo periculo mortis, postea innumeri alij morituri sint absque Baptismo, quos aliàs possem baptizare. Porro quemadmodùm bonum temporale communitatis prævalet bono temporali privati hominis, ita quoque bonum spirituale commune præponendum est bono spirituali privato. Est sententia communis.

38.  
Si sit gravis  
necessitas

Transco ad secundam partem conclusionis, quæ & ipsa communiter docetur in Tract. de Charitate, ubi de dilectione proximi. Enimvero quòd in gravi necessitate non teneat succurrere cuilibet privato homini cum periculo vitæ, vel inde factis constat, quòd talis absque mea opera absolute possit v. g. baptizari; adeoque nulla est ratio imponendi tantam obligationem singulis hominibus; maximè cum hæc necessitas inter homines infideles satis frequens sit, & omnino heroicæ charitatis existat ac fortitudinis, vitam suam pro fratribus ponere.

Non teneor  
succurrere  
cum peri-  
culo vitæ.

Confirmatur; quia quilibet non tenetur succurrere privato homini, constituto in periculo vitæ corporalis, ex quo seipsum absolute potest eripere; succurrere, inquam, cum notabili jactura bonorum temporalium, puta diminutione status sui; ergo necque procurare salutem spiritualement in gravi dumtaxat necessitate cum jactura propriæ vitæ corporalis: sed sicuti obligor ex charitate, subvenire proximo graviter laboranti in necessarijs ad vitam corporalem cum jactura partis fortunarum, ut traditur

in materia de eleemosyna; pari ratione, imò majori debeo sublevare necessitatem spiritualement cum damno aliquo temporali respectivè graviori, quemadmodùm indigentia spiritus, gravior est indigentia corporis.

Nota me dixisse, *Cuilibet privato homini*, Quoniam si Respublica graviter indigeret sive re spirituali, sive temporali, quilibet pars ex justitia legali, secundùm receptissimam & verissimam sententiam alibi examinandam, teneretur ei succurrere, etiam cum periculo vitæ; bonum quippe commune præcedit bonum privatum. Quis autem sanæ mentis dubitare potest, civem arctiori vinculo constringi, quàm quemlibet extraneum? Si ergo, qui non est pars Respublicæ, nihilominus ex charitate in extrema necessitate obligatur vitam pro ea ponere; quis meritò indignari potest, si dixerò, civem ex justitia legali, quæ inclinat partem ad procurandum bonum totius, eandem subire obligationem in gravi necessitate?

Atque ista sit ratio ultimæ partis conclusionis: etenim cum Parens, Dominus ac Pastor multò arctius obligentur procurare Baptismum parvulo, quàm quilibet privatus; hic siquidem ex charitate sola, illi in super ex pietate, aut justitia; noli excusare illos in gravi necessitate à præcepto Christi ponendi animam pro fratribus, quod unumquemque concernit in extrema.

Alioquin æqualis erit obligatio & hujus, cui imminet specialis cura de salute proximi, & illius, cui non imminet, contra aperitissimam doctrinam D. Thomæ Aquinatis, superius à Soto allegatam, 2. 2. q. 26. a. 5. in responsione ad tertium. *Dicendum*, inquit, *quòd cuilibet homini imminet cura proprii corporis: non autem imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi forte in casu. Et ideo non est de necessitate charitatis quòd homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur eius saluti providere.* Quod intelligit, inquit Soto supra, quando alicui incumbit ex officio.

Ex quo hic Auctor ita concludit §. *Septima conclusio*: Prælati aliquando tenentur pro correctione subditorum exponere vitam, etiam ubi peccata non procederent ex ignorantia. Nam quamquam tunc non est usque adeo simpliciter necessaria eorum correctio: tamen, quia ratione officij incumbit illi correctio, fieri potest, ut ubi privata personæ fuerit consilium ponere vitam pro fratre, Prælato sit præceptum ponere illam pro filio.

Unde

**Sect. 4. De Subject. & prac. Baptis. Concl. 3. 321**

39. Unde de omnibus in universum amicis  
ait Christus Joan. 15. v. 13. *Maiorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: quasi hoc ad perfectionem pertineat: sed de Pastoribus ait Joan.*

40. *10. vers. 11. Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis: quasi hoc pertineat ad necessitatem. Sequitur enim: Mercenarius autem & qui non est Pastor, cuius non sunt oves proprie, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit & dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.*

41. *Hæc ad Pastores dico, qui tempore persecutionis metu mortis aut captivitatis deserunt ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri, vel vivere Christiani, id est, ministerium Baptismi, & aliorum Sacramentorum.*

42. *Et ad vos, quibus incumbit onus & necessitas providendi populo de convenienti Parocho & bono Pastore, qui que eo nomine percipitis decimas populi & proventus, qui superexcrefcunt ultra canonicam portionem ipsius Parochi, & tamen detrectatis concurrere ad communem collectam pro redemptione Parochi captivi, relinquentes gregem sine Pastore, à lupis, id est, hæreticis dispergendum ac devorandum: aut certe tales duces constituitis, parentes stipendio iusto, qui subditos suos defectu scientiæ aliarumque conditionum necessarium nequeunt defendere ab invasione luporum, ex ore eorum eruere, ac morsus curare, procul dubio in æternam perituri, ni Deus extraordinariâ providentiâ eos eripiat de manibus hæreticorum, qui Ecclesiam & Pastores persequuntur, non tam ex affectu corporum & divitiarum, quàm bene ut impediant exercitia veræ Religionis, populo ad salutem animæ necessaria, & ipsi hæresim suam seminare, plantare & firmare valeant.*

43. *Certe ostenditis, quicumque tales estis, & vos ipsos factis probatis non Patronos & Patres Plebis Christianæ & gregis Dominici, de cuius lacte comeditis, & cuius lanâ operimini, sed vitricos & inania Patronorum Ecclesiæ simulachra, & similes illis, de quibus dicit Zachar. cap. 11. vers. 17. O Pastor & idolum derelinquens gregem. Et Ezechiel cap. 34. vers. 2. Va Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascebantur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.*

44. *Hanc obligationem Pastorum docuit D. Augusti, in Epistola quadam ad Episcopum Quodvultdeum, qui ipsum con-*

fulverat super simili casu impendente Vandalica persecutione, ibi: *Nec eos esse prohibendos, qui ad loca si possunt munita migrare desiderant, & tamen ministerij nostri vincula, quibus nos Christi charitas alligavit, ne deseramus Ecclesias, quibus servire debemus, non esse rumpenda.*

45. *Ex quo infert Epistola 180. ad Honoratum (cui illa responsio Augustini non adeo placuerat ac satisfecerat) Restat ergo ut nos, quorum ministerium quantumcumque plebi Dei ubi sumus manenti, ita necessarium est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino: Esto nobis in Deum protectorem, & in locum munitum.*

46. *Et infra loquens de aliquibus Episcopis Hispaniæ, resolutivè exprimit suam mentem hisce apertissimis verbis: Et si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti auctoritate divinâ, sed humano vel errore decepti, vel timore sunt victi.*

47. *Respondens autem ad objectionem Honorati ex Matth. 10. v. 23. Cum persequerentur vos in civitate ista, fugite ad aliam, subnectit: Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum, & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cui non istas duas dominicas verasq; sententiâs, unam scilicet ubi fuga sinitur, aut iubetur, alterâ ubi arguitur atque culpatur, sic intelligere student, ut inter se reperiantur non esse contraria, sicut non sunt?*

48. *Et hoc quo modo reperitur, nisi attendatur, quod iam superius disputavi, tunc de locis, in quibus sumus premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministraretur, aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi: sicut in sporta submissus .... fugit Apostolus, cum à persecutore propriè ipse quaeretur alijs utique necessitatem similem non habentibus, à quibus illic ministerium absit ut desereretur Ecclesia....*

49. *Cum autem plebs manet, & ministri fugiunt, ministeriumq; subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici corporis desuit, & peribit infirmus in tua, non scientia, sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est. Quod autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur, quare non potius contra suum timorem Domino miserante atque adjuvante fortiter dimicant, ac mala sine compa-*

Hanc obligationem docuit D. Augustinus;

Docet quæ non esse fugiendum ex locis.

Nisi ubi plebs Christi non fuerit.

Aut, si fuerit, possit per alios satisfaci.

ratione maiora, quae multo amplius sunt commendata, contingant?

45. Quæris à D. Aug. quæ mala? Respondet tibi in eadem Epistola: An non cogitamus cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantum in Ecclesia fieri solet ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, alijs Baptismum flagrantibus, alijs Reconciliationem, alijs etiam Penitentia ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confessionem, & erogationem? Vbi si ministri desint quantum exitum sequatur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita aeterna requies non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum, & ministrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo sit acquisitio malorum aeternorum.

Hæc cogitate, hæc in statera cordis vestri appendite, quibus hoc periculoso tempore persecutionis non tam corporum, quam animarum cura commissa est ovilis Domini, legite & relegite Epistolam D. Augusti, præmemoratam, & sequimini doctrinam tanti Doctoris, & exemplum Pastoris Pastorum Christi Jesu Domini nostri, qui semetipsum tradidit pro ovibus suis, & pro grege suo mori dignatus est; cui vos obligatis, vel potius qui vos sibi obligavit in susceptione curæ pastoralis, pascere gregem populi sui, pascere verbo salutis doctrinæ, pascere administratione Sacramentorum, pascere exemplo bonorum operum, eo præsertim tempore, quo hæc ministeria magis necessaria sunt; ne fortè, quod absit, aliquis vestrum reperiarur in numero illorum Pastorum, quibus minatur Dominus apud Prophetam Ezechielem supra v. 10. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.

44. Nec dicat aliquis: hæc obligatio gravior est, & inæqualis mercedi, quam recipio. Enimvero non sollicitudinis, laborum & ejulmodi obligationis merces aut præmium sunt fructus sive proventus temporales, qui hic pro vitæ sustentatione tantum suppeditantur (quos si solum attendas mercenarius es) sed merces & præmium sunt bona illa cælestia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Merces est quod à Christo audies: Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. v. 23. ubi

semper cum Filio eris, & honorificabit te Pater, quia Filio in ovibus suis ministrasti, & dilexisti usque ad honorum spoliationem, usque ad incarcerationem, usque ad mortem ipsam. Vide plura apud Wiggert Tract. de Fort. c. 1. dub. 5. ubi expressè agit de hac controversia, & subscribit sententiæ D. Aug. Jure, vel injuriâ, quis potest ambigere? Jure profectò meritissimo.

Et excusabimus parentes ac Pastores nec tum vitæ periculo in gravi necessitate parvulis debeant procurare Baptismum? Nequaquam: indubie enim omnes fideles graviter scandalizarentur, si contrarium fieri viderent.

Sed numquid, quæ parentis fidelis, eadem est obligatio parentis infidelis? Non est relicta ambigendi locus. Numquid etiam eadem obligatio Pastoris respectu parvulorum parentum fidelium, & infidelium? Sanè cum parvuli infidelium non pertineant ad jurisdictionem Ecclesiæ, Parochus non aliam habet obligationem respectu eorum, quam quilibet alius privatus. Et quæ illa? baptizandi eos in extrema necessitate, parentibus licet injuris.

Atque hæc sufficiant de obligatione baptizandi parvulos in necessitate. At verò extra necessitatem, nonne pro libitu poterit Baptismus eorum differri? Minime: sed

### CONCLUSIO IV.

Consuetudo obligat graviter parentes Christianos, & in eorum defectum Dominos ac Pastores, ut primâ opportunitate parvulis procurent Baptismum.

PRIMA opportunitas est illud tempus, quod spectatis omnibus circumstantijs prudenter censetur opportunum.

Dixi autem, Consuetudo, quia hodie nullum jus scriptum de hac obligatione gravi reperitur. Hinc DD. unanimiter (uno aut altero contradicente) allegant consuetudinem. Sensus etiam fidelium, ac scandalum si secus fiat, idem arguunt. Ceterum juri divino satisficeret, si baptizaretur in articulo mortis; amplius quippe non constat.

Addidi ly, Christianos, id est, baptizatos; siquidem de ijs, qui foris sunt, non est Ecclesiæ judicare, juxta illud Apostoli 1. Cor. 5. v. 12. Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam

Ne fideles multis bonis priventur.

Ezech. 34. Et ipsi Pastores à Deo graviter judicentur.

Matth. 25.

Nam eos, qui foris sunt, Deus indicabit. Per consequens non est Ecclesie pro ijs, qui foris sunt, ferre leges proprie dictas; etenim legislator iudex est legis, id est, eorum, qui legem transgrediuntur: & legislatio est actus jurisdictionis, qui non exercetur nisi in subditos; subditi autem Ecclesie non sunt, qui per Baptismum eam non fuerint ingressi.

47. Quae etiam est ratio, quare Ecclesia non possit precipere adultis immediate, ut hoc vel illo tempore Baptismum suscipiant: bene Pastoribus ut tali & non alio tempore conferant. Fuit quidem olim in Gallia consuetudo non baptizandi, etiam parvulos citra necessitatem extra duo anni tempora, sabbatum scilicet sanctum Paschatis, & Pentecostes, sed hic mos exolevit, ita ut ubique non solum parvulis, sed etiam adultis omni tempore solemniter hoc Sacramentum administraretur.

Olim erat alia consuetudo;

Sed modo abrogata,

Ut constat ex Rituali Romano Pauli V.

Unde Paulus V. in Rituali Romano Tit. de Baptifino §. de baptizandis parvulis: *Opportune, inquit, Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimum fieri poterit, & qua decet Christianam modestiam sine pompa vanitate deserant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nunquam differatur cum periculo salutis &c.*

48. Porro cura illa pertinet primo ad parentes; & in eorum defectum ad Dominos temporales, qui in iura parentum succedunt; denique ad Pastores, quibus etiam incumbit cura salutis parvulorum parentum sibi subditorum. Enimvero partus sequitur ventrem, juxta legem 7. Cod. de Rei Vend. *Partum ancillae, matris sequi conditionem: nec statum patris in hac specie considerari, explorari iuris est.* Si ergo qui nascitur ex ancilla servus efficitur hominis; Quid miramur si puer, qui nascitur ex parentibus Ecclesie in spiritualibus subiectis, & ipse subijciatur eidem Ecclesie quoad animae suae spirituales salutem? Numquid nascitur ex jure omnium gentium subditus illi Principi temporali, cui Parentes subduntur in temporalibus?

Profecto ratione hujus subjectionis talis qualis (nam perfecta non est, ut patet) Ecclesia secundum communem doctrinam Theologorum potest hujusmodi proles invitis parentibus baptizare, & baptizatas, quando id foret necessarium, ab ipsis abstrahere. Merito ergo Parochi eandem cum parentibus Christianis subeunt obligationem, in tantum ut etiam utroque parente invito possit, & debeat parvulos ipsorum baptizare. Quid autem faciendum sit

si vel unus vel uterque parens infidelis consentiat, sequentes conclusiones edisserent.

CONCLUSIO V.

Baptismus parvulorum, etiam contradicente utroque parente infideli, semper valet; licet autem, si parentes sint mancipia Christianorum, aut alter eorum consentiat.

Nomine, *Infidelium*, intelligo hic omnes non baptizatos; scilicet haereticos, vel apostatas; sicut enim hi, non minus quam Catholici, manent sub potestate Ecclesie, possuntque ad fidem servandam compelli, sic etiam eorum proles, non minus quam Catholicorum valide & licite per se loquendo ipsis repugnantibus baptizantur, & a parentibus abstrahuntur, ubi necesse fuerit pro reverentia Sacramenti. Patet ex dictis conclusione praecedenti.

Hoc supposito: prima pars conclusionis est omnino certa, & communis Theologorum, uno vel altero excepto. Et intelligo eam de infidelibus quibuscumque subiecti sive non subiecti Principibus Christianis. Ratio est manifesta; quia non potest statui aliquid esse necessarium ad valorem Sacramenti, nisi ex Concilij, Scripturae aut Traditione constet; aliàs cuilibet erit liberum fingere nova requisita, quae tamen dependent a sola voluntate Christi.

Ostendat igitur Durandus ubi Christus requisiverit ad validum Baptismum consensum parentum, & libenter ipsi subscribimus. Sin vero id ostendere non possit, sicut revera non potest, mirari desine, communem Theologorum scholam adherere sententiae D. Aug. Epistolae 23. ad Bonifacium, ubi sic inquit circa medium: *Illud autem nolo te fallat, ut existimes reatus vinculum, ex Adam tractum, aliter non posse dirumpi, nisi parvuli ad percipiendam Christi gratiam, a parentibus offerantur.*

Rationem invenio in principio ejusdem Epistolae: *Non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide: sed: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto. Ut quemadmodum ad contrahendum peccatum originale non exigitur consensus parentum vel alicujus alterius praeter Adam; ita neque ad remissionem originalis contracti requiratur*

49. Quoniam intelligantur nomine parentum infidelium.

50. Ipsorum proles valide semper baptizantur.

Etiam ipsi contradicentibus.

S. Augusti.

Sicuti si ipsi contractaverint originale.

consensus, aut fides cuiusquam, præter fidem Ecclesiæ, & consensum ministrum nomine Ecclesiæ & Christi baptizantis. Si enim, inquit Apostolus Rom. 5. v. 17. animi delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.

Rom. 5.

An Christi gratia minus efficax esse debuit, quàm peccatum primi parentis? Quomodo ergo scriptum est: *Vbi autem abundavit delictum, superabundavit gratia?* Rom. 5. v. 20.

§ 1.

Profectò planè conveniens erat, ut ita institueretur Sacramentum regenerativum, quòd ejus efficacia non dependeret à voluntate parentum; quippe in periculo non vacat eam expectare. Accedit, frequens alioquin incertitudo effectus. Oportuit autem Sacramentum maximè esse certum, quòd maximè est necessarium ad salutem.

Quod patet ex praxi Ecclesiæ non rebaptizantis sic baptizatos;

Hinc Ecclesiæ numquam rebaptizat parvulos contra voluntatem parentum Gentilium baptizatos; imò dum potest, eos à parentibus abstrahit, & postquam adoleverint, ad fidem fideique Christianæ ac Ecclesiæ præcepta servanda compellit: ergo judicat se per talem Baptismum, jus in istos parvulos acquisivisse; adeoque esse validè baptizatos.

Quando igitur D. Aug. videtur alicubi requirere consensum parentum, loquitur de licito, vel ad melius esse, eo modo quo exigit fidem; cum tamen certum sit ex eodem Doctore parvulos infidelium validè baptizari, imò licet accedere eorum consensu.

§ 2. Licet id fiat cum injuria parentum,

Sed contra Primò; ille Baptismus est parentibus injuriosus. Est, equidem validus, & per quem Ecclesiæ, quæ non est particeps injuriæ, acquirit jus in baptizatum; velut nubens alteri, quem induxit per dolum, non versantem circa substantiam contractus, acquirit in eum jus matrimoniale; & sicut venditio vi aut metu extorta est valida, si omnia substantialia adfuerint, argumento L. ult. Cod. de his quæ vi, ibi: *Venditiones, donationes &c. quæ per potentiam extorta sunt præcipimus infirmari.*

Sicuti valet venditio injuriosa,

Et de contractu bonæ fidei, dolo accidentali inito, sic statuit lex *si dolo*. Cod. de rescind. vend. *Si dolo adversarij deceptum venditionem prædij te fecisse animadvertent præses, sciens contrarium esse dolum bonæ fidei, quæ in his modis contractibus maximè exigitur, rescindi venditionem iubebit.*

Negotiaris pecuniâ alienâ contra Domini voluntatem, quis dubitat actionem esse injuriosam? Et tamen fructus indu-

stræ ad te pertinent, & non ad Dominum. Utrique maneamus in exemplo Baptismi: baptizat aliquis parvulum hominis fidelis cum injuria Parochi, an propterea Baptismus erit invalidus? An ideo talis Baptismus non generabit Ecclesiæ jus in illum parvulum hominis fidelis? Proferat generabit: quippe actio non est intrinsecè & formaliter injuriosa, id est, quatenus generativa hujus juris, sed extrinsecè tantum, quia opposita juri, quod Parochus habet ad parvulum Ecclesiæ adscribendum.

Quenadmodum qui venatur in sylva aliena contra justam Domini prohibitionem, licet peccet contra iustitiam; tamen acquirit dominium ferarum, titulo primò occupantis, quæ nullius sunt; qui titulus in se formaliter & intrinsecè iustus est, quamvis extrinsecè hic & nunc propter prohibitionem, usus illius sit injustus; sic etiam Baptismus ex se titulus est, & medium ordinatum à Deo ad acquirendum jus in talem hominem, licet propter prohibitionem externam interdum contingat quempiam injustè baptizare.

Hinc non placet quod quidam Auctor docet: Ecclesiæ non posse cogere ad observantiam Christianitatis eos, quos terroribus contra iustitiam coegit privatus quispiam ad suscipiendum Baptismum, si nulla accesserit promissio. Non placet, inquam, nam iustè vel injustè compulsi fuerint, susceperunt equidem characterem Christianitatis indelebilem, ratione cuius Ecclesiæ innocens præterdit jus, & oportet (verba sunt Innoc. III. c. *Maiores de Baptismo*) *ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vili ac contemptibilis habeatur.*

Idem assero de illo, qui per injuriam adactus fuit, ut se permitteret inscribi cathalogo militum, posse videlicet Principem, qui injuriæ non fuit particeps, iustè talem cogere, ut permaneat in statu militari, quoadusque officio Judicis contractus, alioquin validus, rescindatur, aut declaretur à principio fuisse invalidus.

Contra Secundò; ad Baptismum adulti requiritur ejus consensus: ergo ad Baptismum parvuli consensus parentum.

Respondeo negando consequentiam, vel distinguendo antecedens: ad Baptismum adulti requiritur ejus consensus ex parte Sacramenti, nego; ex parte subjecti, ut sit capax medij ordinari ad salutem, concedo. Statuit siquidem Deus nullum hominem rationis compotem justificare nisi voluntatem. *Sine voluntate tua* (verba sunt D. Aug. 1. de op. ser. 167.)



Sect. 4. De Subject. & prac. Baptif. Concl. 5. 325

fer. 15. de verbis Apostoli e. 11. ) non orie in te iustitia Dei. Voluntas quidem non est iustitia tua, iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest nisi per voluntatem tuam. Et infra: Qu ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem.

Non item parvulus.

De parvulo autem, qui impotens est propriae voluntatis, quid ait? de verb. Apostoli fer. 14. Ad verba, inquit, aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Christum, sit interrogatio, respondetur, credit. Pro non loquente, pro silente, sicut, & sendo quodammodo ut subveniatur orante, responderetur, & valet.

Nequidem per parentes.

A quo responderetur? A parentibus, inquit. Quid si parentes non adsint? Ab offendentibus. Quid si nullus offerat, sed solus minister baptizet? Recte intelligitur respondere tota mater Ecclesia, que in sanctis est; quia, teste eodem S. Doctore Epistolâ 23. tota omnes, tota singulos parit, per voluntatem ministris, suo & Christi nomine baptizantis. Valet itaque Baptismus parvulorum quorumcumque parentum, ipsis quantumcumque invitis & contradicentibus, si adsit legitima materia, forma & intentio ministris.

Idem die de perpetuo amentibus.

Porro de amentibus & furiosis, qui tales à nativitate fuerunt, idem iudicium faciendum est, ait Paulus V. in Rituali Rom. tit. de baptizandis adultis, quod de infantibus: atque in fide Ecclesia baptizari possunt, de consensu scilicet eorum, quorum interest. Qui autem illi sint ad hoc ut Baptismus, alioquin validus, etiam liceat, hic controversatur.

55. Qui etiam licite baptizantur.

Sanè non requiritur consensus parentum, qui sunt mancipia Christianorum, ut habet secunda pars conclusionis, ab omnibus admittitur. Et patet Primò ex communi praxi, quâ proles Turcarum & Maurorum, qui iusto bello abducuntur in servitutem Christianorum, baptizantur contra voluntatem parentum. Secundò, quia Dominus iuste possit filios illos vendere, & à parentum abstrahere potestate; partus quippe sequitur ventrem. Et ipsi ergo sunt servi titulo nativitatis, id est, servi nascuntur.

De consensu domino rum quibus subiacentur.

Quapropter Dominus non tantum per Baptismum potest illos subicere iurisdictioni Ecclesie, sed etiam per se loquendo tenetur, juxta dicta præcedenti conclusionis; succedit siquidem in jus paternum; adeoque contrahit obligationem in defectum parentum ejusmodi parvulis providendi, potissimum de necessarijs ad salutem. Quamvis, ne nimis gravetur parvulis educandis (nam ad evitandum pericu-

lum apostatice à parentibus abstrahendi, & in fide Catholica instruendi forent) aut certè ne infideles frustrati spe recuperandi proles suas, magis sevant in Christianos, per accidens saepe excusetur, per consequens Baptismo non adhibito, licetè permittat eos redimi.

56.

Pro ultima parte Conclusionis notandam, præter subjectionem servilim. dà qua modo egimus, aliam esse subjectionem civilem seu politicam, quæ oritur ex habitatione, aut quasi habitatione, sive, ut vocant, domicilio, aut quasi domicilio in tali loco. Contingit autem frequenter infideles quosdam habitare in terris subditis Principibus Christianis, ratione cuius habitationis subjiuntur temporali imperio istorum Principum, eodem modo quo alij fideles ibidem habentes domicilium. Interim major eorum pars penitus libera est ab omni subjectione sive imperio Dominorum seu Principum fidelium! & de horum parvulis præcipue queritur inter Doctores Catholicos, utrum licetè baptizentur invitis parentibus?

57.

Dico, invitis parentibus; quia dum alter consentit, resistit alter, standum est pro bono prolis, adeoque licet eam baptizare, ut habet conclusio. Colligitur ex Toletano IV. can. 62. Indei, qui Christianas mulieres in coniugio habent, admonentur ab Episcopo civitati illius, ut si cum eis permanere cupiant Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur. Filij autem qui ex talibus nati existunt sdem atque conditionem matris sequantur. Similiter & hi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris, Christianam religionem sequantur, non iudæam superstitionem.

Vel de consensu alteri utriusque parentis. Tom. 47.

Org. IX.

Ratio est, quia uterque patens habet jus; ergo potius danda proles ei, qui in salutem educabit, quam illi, qui in perniciem. Ita respondit Gregor. IX. Argentin. Episcopo, & refertur e. ult. de Conversione infidelium. ibi: Cum autem filius in patris potestate consistat, cuius sequitur familiam, & non matris, & in ætate tali quis non debet apud eas remanere personas, de quibus potest esse suspicio, quod saluti vel vite insidiantur illis: & pueri post vniennium apud patrem non suspectum ali debeant & morari, materq; pueri, si eum remanere contingeret apud eam, possit illum adducere ad infidelitatis errorem; in favorem maxime fidei Christiane: Respondemus patri (ad fidem converso) eundem puerum assignandum.

Imò solius avi.

Imò Gregorius XIII. ut refert Valentia qu. 3. puncto 3. censuit baptizandum esse puerum, cuius pater mortuus erat, invitâ matre,

matre, eò quòd avus fidelis, qui loco patris defuncti curam habebat nepotis, peteret illum baptizari.

Sed quid si uterque resistat? Respondeo

CONCLUSIO VI.

Per Baptismum parvulorum nulla fit injuria parentibus infidelibus penitus contradicentibus.

Ita docet Vasq. disp. 155. c. 2. n. 13. & c. 3. n. 23. Rationem dat, quia baptizare præcisè, non est extrahere parvulum à patria potestate, & parentes privare jure paterno in filios; sed emendare in parvulis parentum errorem: sicuti instruere filium adultum adhuc sub patria potestate in vera fide, non advertatur huic patriæ potestati; sed est emendare id, in quo pater errat, & supplere veram curam filij, quam non habet, ut debet.

Confirmatur Primò; quia absque injuria filius postquam pervenit ad usum rationis petit, & suscipit Baptismum contra voluntatem parentum; imò ab eis fugere potest, quin & tenetur, si aliter nequeat vivere in religione Christiana; ergo per Baptismum non læditur jus paternum; etenim per usum rationis non eximitur à patria potestate in ordine ad alios actus non concernentes veram fidem & cultum Dei; ut manifestum est in contradicentibus, qui invalidi sunt, nisi fuerint de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus.

Confirmatur Secundò; quia si parvulus per injuriam separatur à parentibus sine spe reversionis, admittunt perique licitè eum baptizari, & tamen per injustam separationem non amittitur patria potestas, neque omne jus quod ex ea oritur. Quemadmodum ex hoc quòd res mea per injuriam sit mihi ablata, non sequitur quòd sine injuria possit ab altero malè fide distrahi, tamen recuperatio ejus sit mihi impossibilis propter potentiam ejus, qui illam detinet.

Confirmatur Tertiò; quia teneor jure divino corripere proximum, etiam non emancipatum, non solùm contra voluntatem parentum, sed etiam propriam; ergo Baptismus parvuli non est parentibus injuriosus; utpotè qui sit illi magis necessarius, quàm correptio fraterna adulto; licèt enim parentes non teneantur jure divino

parvulum baptizare nisi in articulo mortis, ut dictum est conclusione 4. tamen etiam non habent jus Baptismum impediendi extra hunc articulum; ita quòd si infans primo die haberet ulum rationis, quamvis nulla omnino esset necessitas, licèt peteret Baptismum, & administraretur contradicentibus parentibus.

Cùm igitur ipsa infantilis ætas sit quasi moralis aliqua necessitas propter periculum inopinatæ ac præmaturæ mortis (nam animadversum est magnam partem parvulorum mori ante usum rationis) cur non rationabiliter præsumo, pueros velle, & petere ab unoquoque Baptismum; committere, inquam, unicuique defensionem vitæ suæ spiritualis, sicuti, quando est periculum vitæ corporalis, censentur unicuique committere defensionem vitæ suæ corporalis? Accedit probabilissimum esse parentes infideles, qui jam impedire volunt Baptismum, neque in articulo mortis fore administraturos.

Dices; ergo etiam unusquisque poterit parvulum à parentibus abstrahere, sicut potest defendere vitam ipsius corporalem cum occisione infaustis.

Respondeo pro tempore Baptismi, si abstractio est necessaria, concedendo totum; pro tempore subsequenti Baptismum, nego consequentiam; nam quamdiu est in minori ætate salvus erit, si contingat ipsum mori; postquam autem pervenerit ad adultam ætatem, & ratione uti ceperit, jam est sui juris, ut recedat à parentibus, & ab Ecclesia separari potest, cum ratione Baptismi jam habeat jus in illum.

Per fidem ergo & Baptismum non diminuitur jus quod habent parentes in filios; alioquin parentes fideles essent peioris conditionis, quàm infideles, quandoquidem illorum filij possint licitè baptizari ipsis invicis, & ab Ecclesia ab illis abstrahi; sed impletur præceptum divinum, quod quidem pro tunc parvulos non obligat in ratione præcepti, sed in ratione mediij necessarij ad salutem; obligabit autem ut primum pervenerint ad usum rationis.

Unde nec ipsis aliqua fit injuria, licèt per Baptismum constituantur suo tempore univèrsæ legis Christi servandæ debitores, adeoque separari possint ab Ecclesia, imò seiplos separare debeant à parentibus, ac poenis ecclesiasticis & civilibus ad hoc compelli; equidem jure divino ad hæc tenentur, si non proximè, saltem remotè; quia obligantur ad Baptismum.

Sed contra; jus divinum Baptismi non est notum lumine naturæ. Respondeo; neque

Sed quid si uterque resistat?

Non fit injuria parentibus contradicentibus per talem Baptismum; Vajquæ.

Sicuti sine injuria baptizatur adultus parentibus injuriis.

Et parvulus irrecuperabiliter separatus.

61.

**Secl. 4. De Subject. & prac. Baptis. Concl. 7. 327**

neque in articulo mortis: nihilominus tunc pravalere juri parentum, sive jus accipiat pro precepto, sive pro facultate & concessione, quis non videat? Quid enim? Nonne ratio naturalis aut Deus precipit, ut parentes negent, vel impediant Baptismum filij sui, aut concedit ut in illo articulo impedire justè possint, si velint? Quin imò mandavit Deus unicuique de proximo suo: quanto magis parentibus de filijs, ut in extrema necessitate ipsis provideant de medijs necessarijs ad salutem? Ideo jure divino parentes debent filium suum baptizare, aut facere ut baptizetur, si in tali periculo versetur.

Qui ergo ipsis scientibus, invititis tamen & nolentibus, puerum eorum baptizat, nullam eis irrogat injuriam, siquidem nullum jus eorum lædit, & illi contra rationem inviti sunt; eum jure divino teneantur filium suum baptizare per se vel per alium; esto hæc & nunc illud jus divinum ignorent. Sufficit profectò quoddam propositio & cognitio, deberent parentes illud amplecti: & aliunde possent cognoscere si aures predicationi accommodarent.

Quare si ministro Baptismi ob hanc rationem bellum inferre vellent, ex parte ipsorum injustum esset ex objecto; quamquam ex ignorantia invincibili excusari possent à peccato. Igitur neque tunc dabitur bellum utrimque justum, nisi formaliter: etenim ignorantia invincibilis, licet excuset à peccato, ut jam jam dixi, equidem non dat parentibus infidelibus majorem auctoritatem, quam aliàs haberent si legem fidei agnoscerent. Quis autem adeo desipit, ut dicere audeat, jus naturale parentum, quod habent in filios, repugnare legi fidei, legi charitatis & pietatis?

Petes, an ergo cuilibet liceat baptizare parvulos infidelium extra periculum mortis, parentibus invititis? Pro responsione erit

**CONCLUSIO VII.**

Per se loquendo extra articulum mortis licitè baptizantur pueri infidelium contra voluntatem parentum, saltem accedente consensu Principis.

65. DE hac conclusione ita discurrit Doctor Subtilis 4. dist. 4. quest. 9. n. 1.

De parvulis Judæorum, & infidelium an sint invititis parentibus baptizandi; dicitur quod non: quia aut redderentur parentibus, & tunc baptizatio eorum esset in contumeliam fidei Christianæ, quia post nutritur à parentibus in errore parentum: aut non redderentur, & tunc fieret iniuria; quia dum sunt parvuli, jus habent parentes in eos.

Hæc erat ratio Richardi in 4. dist. 4. a. 3. q. 3. quam Valq. disp. 155. n. 16. extimat efficacem, Scotus autem quid?

Sed hæc ratio, inquit, licet fortè (ergo non asserit absolutè) concludat de quacunque persona privata, quod non possit parvulus à talibus auferre, nec injstè, id est, licitè, baptizari; non videtur tamen concludere de Principe (fidei, vel infidei perinde est) cui in regimine Reipublicæ tales sum subditi.

Probat: Nam in parvulo Deus habet manus domini, quam parentes: universatè enim in potestatibus ordinatis, potestas inferior non obligat in his, quæ sunt contra superiorem, sicut docet Aug. de verbis Domini homil. 6. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed quid si illud jubeat, quod non debeas facere? Hic sanè contemne potestatem, timendo potestatem majorem, & declarat in exemplo de Curatore & Proconsule, de Proconsule & Imperatore, de Imperatore & Deo: ergo si quis habet regere Reipublicam, magis debet quantum in se est cogere unumquemque subditi Dominos superiori, quam inferiori; in superiori contempto inferiori, quando inferior in tali dominio resistit superiori?

Sicut ergo Imperator debet sentire alicquem obedire debere Proconsuli, contempto precepto Curatoris, id est, inferioris Proconsule, si contradiceret Proconsuli: ut etiam si essent sub eodem dominio ordinata, scilicet quod aliquis esset servus Titij, & Titius Petri, magis debet Imperator cogere servum servum Petro, quia superior est Titio, quam Titio, si Titius vellet uti servo illo contra dominium Petri. Ergo maxime debet Princeps zelare pro dominio servando supremi Domini, scilicet Dei, & per consequens non solum licet, sed debet Princeps auferre parvulos à dominio parentum, volentium eos educare contra cultum Dei, qui est supremus & honestissimus Dominus, & debet eos applicare cultui divino.

His ita disputatis pro utraque parte, subjungit Doctor suam opinionem n. 2. hisce verbis: Dico ergo breviter, quod si Princeps hoc faceret cum cautela bona, scilicet ne parentes prius cognoscentes hoc futurum, occiderent pueros suos, & quod baptizatos faceret religiose educari: bene fieret.

Idem habet in Reportatis editionis Colonienfis eadem distinctione q. 4. ibi: Dico ad qua-

Unde per se loquendo tales parvuli licitè baptizantur, Scotus.

Saltem accedente principis voluntate,

Cui obediendum, si jura præcipiant:

Justa autem esset talis voluntas;

66. Maxime si hoc faceret cum cautela bona,

Unde omnes sunt contra rationem invititi;

Etiam supposita ignorantia invincibili legis fidei;

ad questionem quid privata persona non licet (supple, forte) tamen Regi bene liceat, vel Principi, & esset sibi meritum, si possit vitari malus malum, scilicet ne ipsi hac de causa interficerent filios, vel si dimitterentur menacantes, & tunc redirent ad legem pristinam. Si tamen Princeps posset cavere utrumque malum, quod & pueri illi nutrissentur bonis Ecclesia, esset sibi valde meritum & forte si mina ipsis inferretur, cito omnes converterentur. Ita Scotus qui proinde merito citatur pro nostra conclusione.

Fundamentum est, inquit Vasq. supra c. 1. n. 3. quia si pater alicujus aut vellet ipsum occidere, aut in periculo mortis, in quo esset, nollet liberare, Princeps posset contra voluntatem ipsius ei subvenire, atque ad hunc finem, si opus esset, cum injuria patris ejusmodi filium de potestate ipsius eripere. Imò verò quoties videt filium à patre pravis moribus instrui, & pessimè educari, idem efficere potest; siquidem ad Principem spectat, abusum patrie potestatis in filios corrigere & emendare.

Cum igitur filij infidelium in manifesto periculo infidelitatis versentur, & in originali sint peccato, & parentes nolint illis subvenire, imò abutentes patrie potestate, peccato & morte infidelitatis ipsos velint occidere; consequitur posse eos à Principe supremo invitit ipsorum parentibus baptizari. Ita Vasq. pro sententia Scoti.

Sed antequam disputo de veritate ac sufficientia hujus fundamenti, adverto Doctorem Subtilem hujusmodi verbis non expressisse rationem suae doctrinae: verum istis praecitatis: *Nam in parvulo Deus habet maius ius dominij quam parentes &c.* Ubi non allegat jus defensionis innocentis, quod cuilibet personae privatae competit; sed dumtaxat potestatem ministerialem Principis defendendi jus Dei, cujus in terris agit ministrum, contra abutentes suo subordinato jure in contrarium; unde tota ratio reducitur ad abusum patrie potestatis contra dominium, quod habet Deus in parvulos ut baptizentur, & ei serviant.

Et licet Deus non praeciperit parentibus applicationem Baptismi ex stricta iustitia; hoc ipso tamen quò Baptismus instituit medium necessarium parvulis ad salutem, concessit ipsis jus accipiendi Baptismum; à quo proinde sine iniustitia nequeunt violenter impediri; adeo ut parentes, etsi non peccent contra iustitiam non procurando parvulis Baptismum, sed solummodo contra pietatem aut charitatem; secus tamen positivè impediendo ministrum à Baptismi collatione.

Quæris unde hoc sciam? Unicuique Deus mandavit de proximo suo, ita ut quamvis non teneat corripere proximum meum nisi ex charitate, peccet tamen contra iustitiam, qui me impedit violenter ab illa correptione. Vis itaque vel fraus, quæ parentes impediunt susceptionem Baptismi, etiamsi non esset injuriola parvulis; est tamen vera injuria mei, qui paratus sum, & jus habeo parvulum baptizandi.

Ex quo patet, quàm infundatè quidam recentiores Theologi apud Vasq. n. 91. respondeant ad fundamentum, ut peccatam putant, Scoti: Licere quidem cuiquam jure naturæ defendere innocentes, quando injusta vis ipsis inferitur in rebus debitis jure naturæ, eò quòd defensio locum habeat solum contra fraudem & vim manifestè repugnantem naturali legi iustitiae: parentes autem infideles nullam parvulis suis vim, & iniustitiam inferre, & ita neque injuriam propriè eis irrogare, neque abuti patrie potestate contra debitum iustitiae ordinem; sed solum contra legem fidei, & contra pietatem non lumine naturæ, sed fidei tantummodo notam.

Futilis certè responsio, & nullius momenti, ut mirum sit Vasquesium illam probasse. Nam, præterquam, quòd Scotus non tribuat potestatem abstrahendi parvulos à parentibus cuicumque, sed soli Principi, ad quod sufficeret peccatum contra pietatem aut fidem, ut statim ostendam, arbitrator me digito monstrasse, etiam fieri veram injuriam parvulis in ministris, non per simplicem negationem Baptismi, sed per violentum impedimentum contra jus, quod parvulus à Deo accepit suscipiendi Baptismum semper, & à quocumque non legitime impedito.

Quidquid sit de privata persona, ad quam non spectat gubernatio Reipublicae, aut procuratio boni communis, saltem, ut bene advertit Vasq. n. 93. Principi & Magistratui convenit emendare ac impedire abusum patrie potestatis erga filium & hac de causa, si opus fuerit, filium à patre separare, etiamsi nullum damnum contra iustitiam, sed tantum contra pietatem ac charitatem in pravis moribus patiat, vel quia imitatione patris dilapidet bona sua, vel quia alijs pravis moribus exemplo illius imbuatur.

Hercule nemo sanæ mentis negare potest, quin Princeps sit minister Dei & vindex in iram eis, qui malum agunt. Et quod majus malum infidelitate? An forte impietas bona? An laudabile proximo subtrahere eleemosynam corporalem in gravi,

Præcavendo ne interficiantur innocentes,

Et ne adulti redeant, ad pristinam legem;

Vasquez.

Speccat enim ad principem abusus patrie potestatis corrigere,

67.

Et jus Dei illatum conservere,

Qui mandavit unicuique de proximo suo.

gravi, vel extrema necessitate corporis? Et quis dicit bonum esse, negligere necessitatem spiritualem? Si hæc mala sunt, sicut vera sunt, licet non contra iustitiam; quid prohibet Principem ea vindicare, impedire & emendare?

70.  
Responso  
Vasquez.

Respondes cum Vasquesio n. 94. quia Christus solum reliquit potestatem Principibus, ut ab usum patriæ potestatis contra exteriorem, & civilem Reipublicæ gubernationem emendarent & punirent: quamdiu autem pater filij sui mores, qui pro hac gubernatione exteriore & pacē Reipublicæ necessarij iudicantur, non corrumpit, non dicitur abuti hæc patriæ potestate, ut eā privari debeat, etiamsi filium suum non permittat baptizari, ut postea in adulta ætate infidelitatis suæ sectam ipsum doceat: quia cum Christus reliquerit integram libertatem suscipiendi Baptismum, & fidem suam amplectendi; neque voluerit lædi in aliquo patriam potestatem, quamdiu pater eā non abuteretur contra pacem exteriorem & gubernationem illam civilem Reip. consequitur planè, nulli Principi sæculari licere, hunc ab usum patriæ erga filium in Baptismo & fide Christiana emendare, & hæc occasione filium à patriæ potestate abstrahere. Hæc Vasquez.

71.  
Reprobatur.

Matth. ult.  
Mar. ult.  
Ecclesia  
habet jus  
particulare  
predicandi  
Euangelium  
& baptizandi,

Sed displicent; quia fides & Baptismus sunt media necessaria ad salutem. Hinc Christus Ecclesiæ suæ concessit jus particulare predicandi Euangelium & baptizandi. Matth. ult. v. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Et Marci ult. v. 15. *Euntes in universum mundum, predicare Euangelium omni creatura.* Ergo etiam jus expugnandi armis eos, qui illius prædicationem impediunt; unusquisque enim habet jus tuendi se, & defendendi ab injuria.

Nec obstat quod Ecclesia non habeat jus compellendi ad auditionem, vel susceptionem fidei; distincta etenim sunt prædicare, audire & suscipere; potuit ergo Christus dare potestatem loquendi, & tamen negare jus coactivum ad audiendum, vel suscipiendum; sic quippe Episcopus dans alicui potestatem concionandi, non cogit alios ad audiendum, nec concionatori dat potestatem cogendi; esto etiam præciperet prædicationem; sed tantum concedit jus cogendi alios, ne prædicationem impediunt.

72.

Si autem à me quaeritur, ad quid ergo deserviat potestas prædicandi? Respondeo, ut qui volunt audiant, neque iuste possint impediri ab auditione, ad quam ex præcepto divino obligantur; unusquisque enim

obligatur auscultare doctrinam necessariam ad salutem: verumtamen aliud est quempiam ad hoc vel illud faciendum obligari, aliud posse cogi; siquidem quilibet tenetur observare legem naturæ, non tamen Ecclesia jus habet cogendi infideles ad ejus observantiam.

Cujus executionem nequidem infideles impedire possunt.

Ratio est; quia nullibi legitur Ecclesiæ concessa talis à Christo potestas respectu infidelium. Dico, *infidelium*; quia baptizatos potest compellere, utpote sibi subditos per Baptismum, tum ad fidem veram amplectendam, tum ad observantiam legis naturæ, aliorumque divinarum præceptorum.

Et siquidem Vasq. hanc solummodo prætendat libertatem suscipiendi Baptismum, & fidem amplectendi, hoc est, infideles non posse cogi ab Ecclesia, cui non subijciuntur, verum loquitur; sed nihil ad propositum; nam conclusio nostra, aut sententia Scoti, quam impugnat, non intelligit Principem Ecclesiasticum; sed sæcularem, cujus potestati infideles politicè subijciuntur; & ratione hujus subjectionis arbitramur Principem illum infideles per se loquendo posse cogere, non solum ad audiendam fidem; sed etiam, seclusa lege Ecclesiastica, ad suscipiendam.

Licet ab Ecclesia cogi nequeant ad fidem amplectendum.

Bene tamen à Principe sæculari per se loquendo.

Est doctrina Scoti 4. dist. 4. q. 9. n. 2. ibi: *Imò, quod plus est, crederem religiosè fieri, si ipsi parentes cogerentur minis, & terroribus ad suscipiendum Baptismum, & ad conservandum postea susceptum.* Ac occurrens tacite cuidam objectioni, addit: *Quia esto quod ipsi non essent verè fideles in animo; tamen minis malum esset eis, non posse impunè legem suam illicitam servare, quam posse eam liberè servare. Item filij eorum si bene educarentur in veritate & quarta progenie, essent verè fideles.* Ergo in sententia Scoti, Christus non reliquit integram libertatem suscipiendi Baptismum, & veram fidem amplectendi, ut Vasq. in sua responsione videtur supponere.

73.  
Scotus.

Sanè si sententia Doctoris Subtilis vera est, perspicuè palam fit, Principem sæcularem per se loquendo contra voluntatem parentum infidelium politicè sibi subiectorum, parvulos eorum posse baptizare, & ab illis abstrahere, ubi id necesse foret ad parvulorum educationem in fide Catholica. Sed cum plerique contrarium doceant, fortè ex malo intellectu, ut sapius assolet doctrinæ Scoticæ, operæpretium duxi paucis illam explicare, probare ac confirmare.

Pro intellectu itaque supponitur, quòd Ecclesia Principibus Christianis iuste prohibeat, ne pœnis, saltem gravioribus, compellant

74.  
Ex lege  
Ecclesiæ  
Principes

Christiani  
illicite cogunt infideles ad Baptismum;

pellant infideles ad Baptismum suscipiendum, c. Sicut Iudei. De Iudæis & Sarcenis, ibi: Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes Iudæos ad Baptismum venire compellat. Rationem subiungit: Quippe Christi fidem habere non creditur (saltem ordinariè) qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.

Tolet. 17.

Idem ex Tolet. IV. c. 56. refertur c. de Iudæis. dist. 45. De Iudæis autem precipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri. .... Sicut enim homo propriè arbitrii voluntate serpenti obediens perijt, sic vocante se gratiâ Dei, propria mentis conversatione homo quisque credendo salvatur, ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate ut convertantur suadendi sunt, non penitus impellendi.

75.  
Quod non fuit semper illicitum,

Nota ly deinceps, quo Concil. significat, non semper id fuisse illicitum, & consequenter non esse illicitum ex natura rei, sive ex jure naturali & divino. Unde ibidem subdit: Qui autem iam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti &c.

Ergo, inquit Scot. supra n. 3. in hoc approbat eum tamquam Principem religiosum, non ob ipsius egregiam fidem, & alia facta pietatis, de quibus ibi nulla fit mentio; sed, quia infideles cogit ad fidem.

Regius.

Unde igitur colligit Regius de Actibus supernaturalibus disput. 18. dub. 14. n. 242. religiosissimum illum Regem, uti & Imperatores, qui leges severissimas ediderunt in Manichæos & Samaritanos, qui erant verè Pagani; unde, inquam, colligit, illos Principes indiscreto zelo aliquid plus quam justè poterant sibi sumpsisse? Nonne ab omnibus laudatur factum Ferdinandi Hispaniarum Regis, qui ante 100. circiter annos compulit Iudæos & Mauros excedere Hispaniâ, nisi converterentur?

Ut colligatur ex factis laudabilibus multis Principum,

76.

Quod autem communiter responderetur, infideles fuisse punitos, non ob infidelitatem, sed ob alia scelera; idem videtur, ac si quis diceret, legem latam in fures, non esse latam propter furta, sed propter alia scelera, quibus solent fures etiam esse imbuti; ideoque ridiculum est quòd solum indirectè illis legibus cogantur infideles.

Statuentium gravissimas poenas pro ijs, qui nolunt fidem suscipere.

Nec video quare potius indirectè liceat, quàm directè, si revera per talia gravamina, exilia, confiscationes bonorum, specialia tributa &c. intendatur conversio infidelium; nam licèt talia media aliàs essent licita, fierent equidem illicita, dum per ea talis finis intenditur, si revera jure divino prohibitum sit aliquem ad fidem compellere.

77.

Profectò si hæc coactio foret jure na-

turali & divino illicita, non propter aliud, quàm sictam susceptionem Baptismi; atqui illa potest abesse; ergo &c. Minor constat in eo, qui non statim admittitur, sed paulatim levibus terroribus & poenis ad fidem dispositur. Melius est quidem (ut verbis D. August. Epistola 50.) quis dubitaverit, ad Deum colendum docere homines duci, quàm poena timore vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multus enim profuit (quod experimentis probavimus & probamus) prius timore vel dolore cogi, ut poena possint doceri, aut quod iam verbum didicerant, opere sectari.

Exemplum fit in Apostolo Paulo. Vbi est (inquit S. Doctor) quod isti, hæretici, clamare consueverunt, liberum esse credere, vel non credere. Cui vim Christus intulit? quem cogit? Ecce habent Paulum Apostolum: Agnoscant in eo prius Christum cognitem, & postea docentem; prius ferentem, & postea consolantem. Mirum est autem quo modo ille, qui panâ corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illi omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit. Et quem mater timor compulit ad charitatem, eius perfectâ charitatis servas misit timorem.

Quamvis ergo per se & proxime coactio, praesertim gravis, nata sit tantum inducere ad actum externum, per accidens tamen & remotè etiam provocat internum consensum, sicut frequenter experimur nos plura aggredi ex timore, quæ postea ex amore continuantur.

Accedit quòd meritò eadem coactio timeatur, si quispiam justo metu mortis, privationis officij, impositionis tributi &c. petat Baptismum, & tamen admittitur ab Ecclesia, & secundum communem sententiam hæc coactio indirecta, ut vocant, est licita.

Igitur quemadmodum licet assistere Matrimonio, imò contrahere Matrimonium cum fure v. g. qui justo metu mortis compellitur, quamvis forè internum consensus desit; & sicut potest Confessarius absolvere poenitentem, qui fuit hæreticus, & cogitur ad fidem, ita etiam infideli coacto ad fidem licitum est administrare Sacramentum Baptismi; prius tamen debità diligentia adhibità ad consensum internum cognoscendum.

Si dicas hæretico esse credendum in Sacramento Confessionis, nec facile ministrandum. Respondeo non minùs infideli in Baptismate. Est quidem aliqua disparitas, quòd hæreticus, qui compellitur ad Confessionem, etiam si malè confiteatur, & absolutionem

Hæc ipse coactus non est illicitus.

Juste vero dicitur, si cogitur ad fidem.

Coactio sola non est illicita.

74.

74. Respondeo tunc cogitur obediens.

Sect. 4. De Subject. & prac. Baptis. Concl. 7. 331

solutionem non recipiat, inde non possit incurere aliquod damnum propter sigillum hujus Sacramenti, quo obligatur Sacerdos nullo casu revelare audita in confessione, etiam sacrilega.

Sed numquid propterea credere debeo hæretico, qui à vera religione apostatavit, non servans fidem dominosuo, pejor factus Gentili, qui numquam Christianam doctrinam audivit; fidere, inquam, debeo hæretico petenti absolutionem, cujus invaliditatem parum curat, & fidere non potero homini infideli postulanti Baptismum? Confidam planè postquam maturè investigavero ejus animum, nisi deprehendero manifestum signum fictio-

80. *Infidelis penitus invitus baptizatur.*  
*Imo, III.*  
Equidem si non obstante coactione omnino renuat, & penitus maneat invitus, certum est non debere, nec posse baptizari, aut postmodum ratione Baptismi cogi ad observantiam legis Christianæ. Ita significatur c. *Maiores* de Baptismo, ibi: *Verum id est religioni Christiana contrarium; ut semper invitus, & penitus contradicens ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Attamen quòd non omnis coactio repugnet valori Sacramenti, ibidem docet Pontifex, prout videri potest disp. præced. conclus. 1. & 2.

81. Rogas; cur ergo Ecclesia tam generaliter prohibeat illam violentam compulsionem? Respondeo; quia rarò evenit casus, in quo consultum sit Principes sæculares uti in toto rigore hæc potestate ob plurima incommoda, quæ inde orientur; experientia quippe docuit indiscretè ad fidem compulso, non verè fuisse conversos, sed simulatè; imò gravius odium contra fidem suscepisse, hancque simulationem & odium ingenerasse posteris, quæ per apertam apostasiam suo tempore manifestata fuerunt; hoc siquidem est ingenium hominis, ut summè oderit ea, ad quæ nimio rigore compellitur.

82. Si tamen non omnino violenter compellerentur, meritò sperari posset, quod Scorus supra dicit, quòd etiam si coactio parùm fructus factura sit in ijs, qui modò coguntur, bene tamen in posteris. Quia ergo sæpe difficile valde est rectè judicare de circumstantijs occurrentibus, ideo expediens fuit tam generalis prohibitio; maxime cum in casu necessitatis lex humana non obliget, & pateat plerumque recursus ad Legislatorem; qui justa ex causa in lege sua licetè dispensat.

Hinc etiam Christus tradens modum annuntiandi Evangelium, non dixit: per-

cutite, occidite &c. eos, qui nolunt vos audire, aut doctrinæ Euangelicæ credere: sed Matth. 10. v. 7. *Euntes autem predicare, dicentes: Quia appropinquavit regnum calorum. Infirmos curate &c. Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestru: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; per quam utique significatur potestas punitiva seu coactiva, ut explicat Ambrosius lib. 4. in Luc. c. 10.*

Et à Christi profcripta. *Matth. 10.*

Unde subjungitur v. 14. *Et quicumque non receperit vos, neque audivit sermones vestros: exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris. Et concludit Christus his verbis: v. 16. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbe.*

*S. Ambros.*

Hic certè modus prædicandi legem gratiæ in humilitate, & mansuetudine Prædicatorum, & sola efficacia verbi divini atque signorum, necessarius fuit in principio, ut manifestaretur virtus Dei, cui Evangelium innititur; & quia illa methodus de per se est convenientior. Non tamen ideo inferatur aliam viam esse illicitam, aut non posse esse convenientem, imò & commodiorem, ex occasione temporis & personæ.

Opposita prædicantium humilitas & mansuetudo.

Nec refert quòd in Scriptura expressè non permittatur coactio; nam neque prohibetur, sicut nec de hæreticis quoad hoc quidquam habetur expressè. Dico, expressè, quippe Lucæ 14. v. 23. dicitur: *Exi in vias & sepes: & compelle intrare.* Ubi ad litteram sermo est de infidelibus non baptizatis secundum D. Gregor. Homilià 36. in Euang. & de vera coactione secundum D. August. Epistolà 48. ad Vincent. ibi: *Putas neminem debere cogi ad iustitiam, cum legas Patrem familias dixisse servis: Quoscunque inveneritis, cogite intrare?*

82.

Nullibi tamen inhibita coactio saltem expressè; imò impii- citem videtur permissa, *Luc. 14. S. August.*

Confirmat exemplo Apostoli. Cum, inquit, legas etiam ipsum primo Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem, magnà violentiâ Christi cogentis esse compulsum, nisi forte charitorem putas hominibus esse pecuniam, vel quamlibet possessionem, quam lucem istam, quæ oculis carpitur. Hanc ille calesi prostratus lumine subito amissam non recuperavit, nisi cum sanctæ incorporaretur Ecclesiæ. Et putas nullam vim adhibendam esse homini, ut ab erroris pernicie liberetur?

Confirmatur exemplo Apostoli.

Intelligit quidem August. per eos, qui compellendi sunt, solos hæreticos; at tamen cum exemplum hoc Pauli, & illa sententia Evangelij magis pertineant ad non baptizatos, & rationes August. communes sint hæreticis, & non baptizatis,

T t 2 fatendum

fatendum est, etiam ex mente hujus Sancti Doctoris, infideles adigi posse ad fidem, privatione utique bonorum temporalium, ac alijs levioribus pœnis; nullibi liquidem distinguit inter hereticos, & alios infideles, tamen si solum faciat mentionem hereticorum.

83. Huc usque expendimus sententiam Doctoris nostri Subiilis, quam sequitur Gabriel eadem quæstione ultimâ art. 3. & probabilem judicat Lorca 2. 2. ad q. 10. art. 8. disp. 36. ubi latè eam propugnat, quamvis sentiat oppositum. Non est autem mens Scoti, qualemcumque coactionem, in quibuscumque circumstantijs jure divino esse permissam, sed moderatam, ubi, & quando recta ratio dicitur eam vergere non in destructionem fidei, sed in ædificationem, non in odium, sed potius in amorem; nisi aliter per Ecclesiam fuerit dispositum.

Scoti putat coactionem permissam esse debere moderatam,

Scoti putat coactionem permissam esse debere moderatam,

Quam sententiam sic explicatam, probo hæc ratione: Princeps secularis potest subditum adigere ad omne id, ad quod tenetur jure divino naturali, cujus est executor ex officio; atqui suppositâ prædicatione, siue sufficienti propositione fidei, lumen naturæ dicitur religionem Christianam esse credibilem, & cæteris scæcis præferendam; ergo nolentem eam amplecti, potest, imò debet cogere, nisi aliquid obstat. Si quidem potestas Principis secularis non ita est politica, quin se etiam extendat ad negotium Religionis, quamquam dependenter ab Ecclesia, cujus est declarare, quænam sint veritates fidei, & tùm Principis est cogere infideles, id est, non baptizatos sibi subditos, nam Ecclesia cogit solos baptizatos.

84. Confirmatur, quia si Christus in Ecclesia sua non instituisset ordinem Hierarchicum, id est, unum supremum Caput, aliosque Prælatos ei subordinatos, nec instituisset ullam aliam gubernandi formam, jure naturæ quælibet Respublica Christiana haberet supremam potestatem, etiam quoad ea, quæ concernunt Religionem, utpote necessaria ad bonum regimen ac communem pacem atque concordiam subditorum, ut experientia patet. Ergo si potestatem suam totam, totaliter sine ulla restrictione transfudit in aliquem Principem, hic non modò foret supremus in ijs, quæ concernunt regimen politicum; verum etiam in ijs, quæ concernunt regimen spirituale; potissimum cum omnibus commune sit dirigi posse siue à se, siue ab alijs, quibus hanc potestatem dederunt, in actionibus necessarijs ad vitam æternam.

Ex quo ulterius infero; Principes seculares quoad subditos infideles, in quos Ecclesia nullam habet potestatem, juxta Trident. sess. 14. cap. 2. ibi: *Cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*, in ipsos, inquam, habere supremam potestatem in negotio Religionis, adeoque potestatem prohibere à falsa Religione, & ad veram adigere, quæ, utpote severè vetans scœlera contra legem naturæ, etiam non parum utilis est ad laicam politiam, majorem scilicet pacem & concordiam exteriorem.

Nescio ergo quo fundamento Vasci, supra in sua responsione supponat, patrem non abuti suâ potestate contra pacem exteriorem & gubernationem civilem, docendo filium sectam suæ infidelitatis; nulla quippe secta reperitur, quæ non erret circa præcepta naturæ. Si ergo Princeps secularis (fidelis sit, vel infidelis, nihil refert) quia minister Dei est, & à Republica accepit potestatem ad omnia, quæ sunt potestatis boni communis; si, inquam, potestatem punire peccata contra legem naturæ, qualia sunt idololatria, magia, blasphemie, perjury, usura, adulterium & similia, quæ non modicum perturbant pacem & tranquillitatem Republicæ, quo jure, aut ratione negabimus ei potestatem exirpandi infidelitatem, ex qua profluunt illa peccata, destruendi templa Idolorum &c.?

Ac proinde, cum absque Religione subditi nequeant remanere, quidni possit cogere infideles, tamquam ab omni alia potestate sublimiori exemptos, ad unam & veram fidem, quæ magistra est omnium virtutum, summopere conducentium ad internam & externam quietem communitatis? Enimvero sicut nihil adeo perturbat Republicam, quam diversitas Religionum, ut patuit in Hollandia tempore induciarum cum Rege Catholico sub Serenissimis Principibus Alberto, & Isabella; ita nihil magis efficit, & conservat concordiam & unitatem animorum, quam una, & vera Religio.

Et sane quid repugnat ex natura rei, communitatem aliquam Principi suo dare potestatem, ut singulos subditos cogat ad verum cultum Dei, quicumque is deum fuerit? Et unde constat primitus non fuisse concessam potestatem supremam Principibus cum hac illimitatione? Nonne apud Gentiles Romanos & Græcos in more positum fuit, ut Princeps imperaret populo, etiam in negotio Religionis? Quid dicam, quòd hodie in Anglia, & alibi apud hæret-



haereticos hæc potestas Principibus Reipublicæ collata sit? Quod licet impiè factum; quippe in præjudicium Catholicæ fidei, & potestatis Petro à Christo datæ; tamen probabiliter ostendit, seclusâ Hætararchiâ à Christo institutâ, Principibus superis competiturum regimen in causâ Religionis.

Unde in lege naturæ Princeps populi, suppositâ fide unius Dei, poterat subditos compellere ad verum illius cultum, ita dicente lumine naturali. Et existimabimus in lege nova ita esse obscuratum, aut potius extinctum lumen naturale, ut amplius non diceret Principem temporalem qui solus est minister Dei respectu istorum infidelium, posse illos cogere ad Religionem Christianam, quam ipsa ratio naturalis ostendit præ cæteris esse eligendam? Non video rationem dubitandi seclusis inconvenientiis, de quibus supra: nam propter melius bonum tolerari possunt, & sæpe debent aliquorum superstitiosi ritus, non solum judæici, sed etiam legi naturæ contrarij.

88. Si dixeris inconueniens est, quod quis in aliqua re habeat potestatem coactivam separatam à iudicativa seu præceptiva. Respondeo Principes civiles, respectu infidelium, quibus alius nemo præcipit, habent potestatem præceptivam etiam in materia fidei; saltem possunt ipsis imperare in alia materia, ac proinde absolute hæc non separantur potestas coactiva & directiva; licet eadem talis separatio non sit impossibilis aut incongrua; imò defecto reperitur in Magistratu civili, qui potest directè Clericis præcipere in materia morali communis; minimè eos cogere. Et ipse Princeps secularis, nonne, secundum communem & veriorum sententiam, obligatur directè, & immediate propriâ lege quoad vim directivam; seclusâ coactivam?

Omitto, quod ad instantiam Ecclesiæ Princeps secularis ita coerceat hæreticos & compellat, ut tamen nihil ipsis possit præcipere in causâ Religionis; sed si quæ oritur controversia in materia juris naturalis vel divini, Pontificis seu Ecclesiæ est definire quid licitum & illicitum, ac corrigere etiam ipsas sententias Principum secularium, ut docetur in Tract. de Legibus. Postâ autem determinatione Ecclesiæ, Superioris Ecclesiastici est cogere baptizatos vel per se vel per Superiorem civilem tamquam defensores Ecclesiæ, & mandatorum ejus executores; porro compellere infideles seu non baptizatos ad solum spectat Principem secularem, tamquam uni-

cum in terris ministrum Dei, & vindicem illis, qui malum agunt.

Ex quo colligo Primò, quare non possit cogere infideles sibi non subiectos; quia videlicet illis non est minister Dei & vindex. Non est enim potestas nisi à Deo, qui talem non dedit hominibus; sed univique Principi concessit regere suam Rempublicam, & non alienam.

Colligo Secundò, quare similiter non habeat potestatem definiendi res fidei; quia videlicet à Deo illa auctoritas commissa est Ecclesiæ, etiam quoad infideles; quandoquidem illa definitio non sit actus jurisdictionis; sed dumtaxat doctrine: dictum autem est Apostolis, & non Principibus temporalibus Matth. ultimo v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes &c.*

Sic explicata, probata ac confirmata sententia Doctoris Subtilis apparet sanè probabilissima, & evincit manifestissime nostram conclusionem. Quia tamen opposita communior est, gratis concessio, quod parentes non possint cogi ad fidem suscipiendam; dico nihilominus, Principem posse abstrahere filios, quos contra bonum commune volunt instruere & educare in sua infidelitate; quippe abutuntur patriâ potestate, etiam contra pacem exteriorem & gubernationem civilem, ut mox ostendimus.

Habet quidem pater jus ad educationem parvuli; sed non contra jus Dei & parvuli, ac in destructionem Reipublicæ seu contra bonum commune; quod Princeps tenetur ex officio defendere ac procurare. Sicut ergo subditis potest eripere alias res temporales, quibus sciuntur abufari contra tranquillitatem & pacem communitatis; ita etiam filios.

Confirmatur; quia potest abstrahere parvulos fidelium: porro per fidem non accipit Princeps politicus aliquod jus particulare in fidelem, quod antea non habebat.

Contra; Ecclesia tunc habet jus; illud autem tenetur defendere. Respondeo in nostro casu Deum habere jus; similiter parvulum; nec non Rempublicam, quod magis debet tueri.

Nec satisfaciit responsio aliquorum dicentium; jus Dei & parvuli non cadere sub lumen naturæ, adeoque non spectare ad Principem politicum: nam similiter sub lumen naturæ non cadit fides Catholicam esse predicandam, templa esse erigenda, Matrimonium ratum dissolvi professione Religionis approbata, & similia; & tamen tenentur Principes Christiani illa jura defendere

89. Quare Princeps secularis non possit cogere infideles sibi non subiectos,

Aur definiere res fidei.

Maub. ubi.

90. Ex dictis ostenditur sententia probabilissima.

Esto parentes non possint cogi ad fidem suscipiendam,

Possunt tamen abstrahere proles in vitiis parentibus,

91.

Licet jus Dei & parvuli non cadat sub lumen naturæ,

Imò in lege naturæ Princeps erat concessa talis vis coactiva

Cur ergo neganda in lege nova?

Neque ideo separabitur potestas coactiva à directiva.

Licet talis separatio non sit impossibilis aut incongrua;

Imò actu reperitur in Principe seculari qui præcipit Clericis in materia moralicom-

munis, quos tamen non potest cogere. Et ad instantiam Ecclesiæ cogit hæreticos, quibus tamen in causâ Religionis nihil potest præcipere.

defendere contra infideles, & quoscumque impedire volentes.

92. Confirmatur Secundò; quia servitus politica non magis præjudicare debet patriæ potestati, quàm præceptum divinum naturale; sed ratione prioris potest Superior separare parvulos; ergo etiam ratione posterioris.

93. Confirmatur à simili. Confirmatur Tertiò; quia Princeps potest defendere jus parvuli, quod habet ad hæreditatem, ad alimenta necessaria pro vita corporali contra parentes; ergo etiam jus, quod habet ad hæreditatem æternam, ad alimenta necessaria (id est, ad Baptismum, & fidem) pro vita spirituali, quod majus est. Neque expectanda est extrema necessitas, cum Principes etiam in probabilibus necessitatibus debeant suis subditis providere, similiter parentes filijs.

94. Non semper voluntas Patris censetur voluntas Filij. Contra; voluntas patris censetur voluntas filij, cum propriam nondum habeat. Respondeo rationabilis, concedo; irrationabilis, nego. Alioquin si pater dilapidaret hæreditatem filij, non posset Princeps eum privare potestate paternâ; certè hæc potestas potius cedere debet in favorem, quàm præjudicium filiorum.

Hinc si parentes impediunt salutem prolium; ipsæ proles possunt, & debent sibi providere, etiam contra voluntatem parentum; juxtà illud Christi salvatoris apud Euang. Lucam cap. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem &c.* Quos scilicet, ut explicat Gregor. homiliâ 37. in Euang. *adversarios in via Dei patitur.*

Princeps ergo non poterit coërcere parentes, si filios in malis moribus contra jus naturale instruunt? Absit. Numquid privat parentes jure, quod habent in bona sua, si sint prodigi, assignans prolibus tutorem? Cur igitur & ipse instat tutoris non possit se ingerere ob defectum parentum, qui parvulum negligunt? Enimvero si parvulus possit baptizari de consensu tutoris, in locum patris defuncti subrogati, invitâ matre; cur non utroque parente invito de consensu Principis, qui est tutor supremus? Quippe jus supremum regiminis non minus juri duorum, quàm unius in hac causâ videtur posse prævalere.

Quamvis igitur parentes habeant jus in proles suas, non tamen in omnibus circumstantijs, sed ut debite eo utantur: quemadmodum Rex habet jus altum in bona temporalia subditorum, non tamen ut tyrannicè eo utatur; sed tunc solùm, quando illa bona particularia necessaria sunt pro

conservatione boni communis.

Ex dictis credo satis ab omnibus intelligi, quare in conclusione dixerim: *Saltem de consensu Principis*; ipsius quippe est, & non cujlibet privata personæ filios à parentibus abstrahere; quæ tamen abstractio videtur necessaria, ne cum magna Sacramenti irreverentia & Religionis injuria moraliter certò postquam adoleverint à fide apostatent, ad quam equidem ratione Baptismi suscepti obligantur.

Hinc si privatus quispiam sciret nullum hujusmodi subesse periculum, vel quia parvulus jam separatus est à parentibus justè, vel injustè, moraliter certò nunquam restituendus; vel quia videt se posse ad ultimum manu tenere in vera fide sine injuria parentum, non video cur in illis circumstantijs non liceat eum baptizare, nisi fortè ex tali Baptismo oriretur maximum odium parentum in Christianos, & eorum legem; adeoque difficilior, aut moraliter impossibilis eorum conversio ad veram fidem, occiso ipsorum parvulorum, vel similia inconvenientia, quæ etiam ipsi Principi prohiberent talem Baptismum.

Propter quod dixi in conclusione: *Per se loquendo.* Neque Scotus aliud docuit, ut patet ex verbis ejus citatis in principio conclusionis. Et quoniam hæc inconvenientia regulariter absunt in articulo mortis, ideo communiter unicuique licitum est tunc baptizare parvulum invitis ejus parentibus, præsertim cum ipsi tali casu ex jure divino obligentur parvulo procurare Baptismum, tamquam omnino necessarium ad evitandam mortem sempiternam.

Porrò per parentes hic veniunt intelligendi etiam tutores, qui in locum illorum succedunt, ac per consequens in juræ obligationes: per parvulos autem intellige, qui nondum utuntur ratione; nam si habeant usum rationis, & petant Baptismum, dandus est contradicentibus quibuscumque; sunt enim in hoc sui juris juxtâ DD. communiter.

Si de usu rationis dubitetur; inclinandum esse in favorem fidei censet Scotus; differendum usque dum de usu rationis constet docent Henriquez, Regius, & alij. Hæc est siquidem periculum in festinando, nullum (ut supponitur) in differendo.

Sed id verum crediderim cum Dicaltilone disp. 2. n. 77. si necdum sit septennium completum: nam si completum sit, stat præsumptio juris pro usu rationis, nisi apertè constet contrarium; juxtâ Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 16. n. 10. ubi dicit ideo jus præscribere septennium ad

Imò sepe licet resistunt voluntati parentum, Luc. 14. S. Gregor.

Maximè accedente consensu Principis tanquam supremi tutoris;

31.

Non enim videtur...

Nisi est...

Et sic...

32.

Quæ...

33.

Quam...

Dicitur...

Sanchez...

valorem sponsalium, ut præsumatur rationis usus; quippe in dubio ubi contrarium non apparet inspicimus annorum numerum, aliàs frustra jus annos præscripsisset.

Pro complemento hujus controversiæ inquiri, an verè sit contra reverentiam Sacramenti, quòd parvuli infidelium baptizentur, & apud eos relinquuntur, quando commodè non possunt abstrahi.

Respondeo difficulter ex ratione ostendi posse, quòd non prævaleat charitas proximi. Quid si enim in infantia parvulus moriatur? Nonne baptizatus salvus erit, qui autem non fuerit baptizatus condemnabitur? Et verò magna pars parvulorum nonne moritur ante usum rationis? Immo (inquit quidam recens Auctor) ferè usque duas tertias partes, ut animadversum esse testatur Joannes Poncius disput. 42. n. 37.

Legi Poncium loco citato, ubi sic ait: At videri tamen posset, quòd etiam id ipsum (puta conferre Baptismum filijs infidelium relictis sub educatione parentum invitorum) liceret; quia nihil videtur impedire, nisi quòd postea apostatarent à fide; hæc enim ratione communiter negatur id licere: aut quòd Baptismus redderetur illis inutilis; sed cum apostasia illa non esset ipsis culpabilis, quandoquidem ex educatione parentum putarent infidelitatem esse meliorem, quam veram fidem, & se non esse obligatos ad profitendam fidem Baptismi, collati illis invit parentibus & sine consensu proprio, non apparet, quomodo periculum, aut certitudo moralis illius impedire posset, quo minus Baptismus concederetur ipsis.

Quantum ad secundum de inutilitate Baptismi, quandoquidem, licet redderetur inutilis per apostasiam, tamen quia valde deserviret ipsis si morerentur, ut facile contingere posset antequam pervenirent ad usum rationis, non esset inutile ipsis, sed utilissimum, quòd ministraretur ipsis; & videretur, quòd posset licitè ministrari ipsis in ordine ad illam utilitatem, non obstante, quòd etiam contingere posset, quòd non asseret illam; quia scilicet non morerentur ante apostasiam. Huc usque Poncius. Ergo testatur animadversum esse ferè usque duas tertias partes parvulorum mori ante usum rationis: negatur consequentia.

Sufficit magna pars, ut exinde probabilitas mortis præmaruræ conjuncta periculo æternæ damnationis (suppono quippe quòd in articulo mortis non erit opportunitas Baptismi) satis videatur abtergere irreverentiam fortè inferendam Sacramen-

to per apostasiam in adulta ætate secururam.

Confirmatur; quia si esset parvulus in præfenti periculo mortis posset, & deberet baptizari; & tamen ex constitutis in tali periculo plures convalescunt. Deinde apostasia ista ut supra bene advertit Poncius posset esse non peccaminosa formaliter, saltem ad tempus (& interim ex hac vita decedentes salvarentur) aut saltem non magis culpabilis (cum supponatur in infidelitate pari modo educandi) quam si baptizati non fuissent.

Accedant variæ Baptismi utilitates, quòd scilicet intuitu illius multæ conferantur gratiæ actuales, quibus facilius perveniant ad rectam fidem, quam in susceptione Baptismi professi sunt; quòd liberentur à multis dæmonum insidijs; quòd specialiter protegantur ab Angelis, & quòd præcipuum est, Baptismus parvulo in præfenti dat gratiam per quam ex injusto fiat justus & ex inimico amicus Dei, eumque tot annis facit in tali statu perseverare.

Quòd autem relabatur; quid inde? Numquid etiam certo relapsuro, imò defecturo à fide Catholica, tamen in præfenti ritè disposito, conferatur Sacramentum Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ &c.?

Dices fidelis habet jus ad illa Sacramenta eo ipso, quò accedit cum legitima dispositione. Respondeo etiam parvulum cuiuscumque parentis habere jus ad Baptismum hoc ipso, quò est medium necessarium ad ipsius salutem, quòd non tollitur per malam educationem seu infidelitatem secururam ex ignorantia invincibili, magis, quam jus ad alia Sacramenta per voluntariam apostasiam.

Sed instas; apostasia directè censetur repugnare Sacramento Baptismatis, quòd est Sacramentum fidei, secus Pœnitentiæ, quæ est secunda post naufragium tabula, omnibus & solis post Baptismum lapsis necessaria, sæpius iteranda pro occurrentia diversorum peccatorum, quæ omnia æqualiter respicit, ita ut apostasia non plùs ipsi contrarietur, quam quodlibet aliud mortale peccatum. Similiter alia Sacramenta cum principaliter sint instituta ad augmentum dumtaxat gratiæ habitualis, unum peccatum mortale non magis ipsis repugnat, quam aliud; sed omnia æqualiter, in quantum sunt causa demeritoria gratiæ præhabitiæ.

Respondeo, verba tantum sunt. Anne hoc titulo apostata committit speciale peccatum? Quis Doctorum hoc expressit? Nonne

98. Quæritur num irrogetur Sacramento irreverentia,

Per Baptismum gaturorum parentum infidelium, supposito quòd abstrahi nequeant

Joan. Poncius

Videtur quòd non.

99. Quod variè ostenditur,

Tum ex Baptismi utilitatibus,

Videlicet quòd faciat parvulum Deo gratum &c.

100. Objectio. Solvitur,

101. Apostasia non magis directè repugnat Baptismo quam Pœnitentiæ,

Nonne de omnibus, qui peccant post Baptismum susceptum, scriptum est in Concilio Tridentino sess. 6. c. 14. *Qui gratia Dei quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti? Et rursum sess. 14. c. 8. Qui semel à peccatis & demonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverunt? Quis propterea docet ex Baptismo quodlibet peccatum mortale contrahere specialem malitiam? Aut quis ideo negabit Baptismum adulto, quia moraliter certus est de relapsu in fornicationem, adulterium, aut simile peccatum?*

Atque ut directius opponeretur infidelitas Baptismo, quam alia delicta; numquid ex illa oppositione tanta oritur irreverentia & indignitas, ut prævaleat æternæ salutis, quam fortassis parvulus per Baptismum consequetur?

Satis probabiliter (inquit Diana parte 3. Tract. 4. Resolutione 7.) docet Layman Theol. mor. lib. 5. c. 6. n. 12. baptizari posse proles hæreticorum, etsi probabiliter sub cura parentum hæresi inficiendas; Quia (inquit) periculum perversionis non est adeo propinquum aut certum, cum fieri possit, ut infantes ante usum rationis moriantur, & per Baptismum salventur: observatum enim alicubi esse intellexi tertiam partem hominum qui in hanc lucernam eduntur ante completi septennij ætatem decedere. Tum quia plerumque spes non parva est, ut hæreticorum liberi aliquando in fide Catholica instruantur, quam idcirco libentius recipient, si sciant à Catholico Sacerdote se baptizatos fuisse.

Addi etiam potest, tametsi à parentibus, & ministris suis hæreticis falsa dogmata edoceantur; interdum ignorantia difficulter vincibili laborare, & pertinaces hæreticos non esse, ut proinde tales donum fidei Baptismalis retineant, & salvari possint, si de peccatis post Baptismum commissis verâ contritione doleant. Hæc Layman de prolibus hæreticorum.

Et quamvis de prolibus aliorum infidelium non sit omnino eadem ratio (nam ut ait Layman supra, hæretici Christi nomen & sacra Christiana non detestantur, ut alij infideles; neque filios suos per incantationes &c. demonijs devotent, sicut pagani solent) equidem similis, ut patet ex dictis. Quæ utique similitudo sufficit ut quilibet nobiscum dicere possit; fortè nec earum Baptismo præjudicatur reverentiæ debitæ Sacramento, maximè cum susceptio non fuerit illis voluntaria, ut idcirco desertio

eis cedere debeat in speciale sacrilegium, saltem non sic, quin ministri videantur probabiliter hoc non debere attendere.

Hinc Navarrus Conf. lib. 3. de Bapt. Conf. 5. Infidelium (inquit) filij usu rationis carentes, quos parentes, penes quos sunt remaneri, ob id petunt baptizari, ut sic ab infirmitate liberentur; baptizandi sunt. Et tamen etiam in his periculum apostasiæ.

Quidquid sit de veritate rei, fateor DD. communiter sentire oppositum; Scorum excipio, qui licet 4. dist. 4. q. 9. n. 1. referat communem sententiam ex Ric. 4. dist. 4. a. 3. q. 3. verumtamen n. 2. ubi suam proponit opinionem loquitur precipue, si è asserens dumtaxat Principem posse baptizare parvulos infidelium subditorum ipsi inquit, si faciat baptizatos religiose educari, ad quod sine dubio tenetur, si commode potest.

An autem non possit baptizare, quando videt religiosam educationem esse moraliter impossibilem, neque negat, neque affirmat Doctor Subtilis ibi, aut alibi, ut proinde libera maneat electio in ipsis schola hujus, vel oppositæ partis. Eligo autem sententiam minus communem, quia magis favorabilis salutis animarum, que in pluribus alijs casibus efficit, ut quod aliis esset irreverentia Sacramenti, jam potius censeretur reverentia, aut saltem non irreverentia; tum etiam quia pro sententia communi non video quid efficaciter possit obijci.

Dices; ex nostra opinione sequitur posse baptizari proles infidelium à quacunque persona privata sine consensu Principis.

Respondeo concedendo tōrum, dummodo saltem consentiat Ecclesia; sine cuius ordinatione, aut licentia non est privatorum ei filios per Baptismum aggregare præterquam in extrema necessitate, quando consensus est præsumptus, imò debitus, & ipso lumine nature expressus.

Hactenus de Baptismo parvulorum, quæ pauca occurrunt dicenda de necessitate Baptismatis adultorum. Suppono autem ex dictis, Baptismum in re, vel voto esse adultis medium necessarium ad salutem extrinsecam Martyrij; quamvis & in ipso Martyrio adultorum (si ita velimus loqui) includatur votum aliquod Baptismi, id est, attritio supernaturalis, quæ proponit servare omnia mandata divina, adeoque suscipere Baptismum, si afforet possibilis, ita ut neglecto Baptismo, per Martyrium adultus non salvaretur.

Hoc itaque supposito tanquam re indubitata

Ut ex Tridentino factis ostenditur,

IOZ  
Neque ex ipsa oppositione oritur tanta irreverentia & indignitas ut prævaleat æternæ salutis.

Diana.

Patet in prolibus hæreticorum, quæ secundum Layman licet hæreticorum,

Tametsi probabiliter sub cura parentum hæresi inficienda.

Idem ergo dicendum de prolibus aliorum infidelium.

bitata, dubitatur ab aliquibus Primò an sufficiat adultis Baptismus in voto? Secundò, an, & pro quo tempore obligentur adulti præcepto divino positivo ad realem Baptismum? Pro responsione ad primam dubitationem erit

CONCLUSIO VIII.

Adultis sufficit ad justificationem, adeoque ad salutem, Baptismus in voto, id est, perfecta contritio, vel amor Dei super omnia.

sermonem meum servabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Sed cum hæc certa sint, non parva tamen est difficultas, an hæc scripturæ intelligendæ sint de quacumque contritione, aut amore Dei super omnia, an solum de illa, quæ merito suo adæquet demeritum culpa: quam controversiam remitto ad proprium locum, ubi multis adductis rationibus, & auctoritatibus ostendam non requiri, ad contritionem aut amorem justificativum extra Sacramentum, determinatam aliquam intensiorem vel durationem.

Hic contenti erimus explicatione unius & alterius loci D. Augusti, qui adversarijs maximè videntur favere. Primus locus desumitur ex lib. 4. de Baptismo cap. 21. in medio: Sicut autem bono Catechumeno Baptismus deest ad capeffendum regnum celorum, sic malo baptizato vera conversio. Secundum locum reperio tract. 13. in Joannem circa medium, ibi: Quantumcumque enim Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.

Sed ut à postremo exordiar, explicationem ejus peto ex antecedentibus & consequentibus. Querit August. hoc loco: Quare baptizabat Ioannes? Respondet: Quia oportebat ut Dominus baptizaretur. Interrogat rursum: Et quare oportebat ut Dominus baptizaretur? Quia, inquit, multi contempti erant Baptismum, eò quòd iam maiore gratiâ præditi viderentur, quàm viderant alios fideles. Ac paucis interjectis: Ad hoc autem viam præbuit Dominus noster Iesus Christus, sicut audistis fratres ne quis arrogans eò quòd habeat abundantiam alterius gratiæ (puta: ille prudentiam, ille doctrinam, ille castitatem, ille fortitudinem patientiæ, ut præmiserat) dedignaretur baptizari Baptismo Domini: quantumcumque enim Catechumenus proficiat (id est, videatur sibi profecisse in hujusmodi gratijs) adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat &c.

Vidistis solutionem? Contemptum Baptismi arguit D. Aug. non omissionem ex justa causa, aut invincibili ignorantia. Contemptum, inquam, arguit: & quis potest dicere quòd injustè? Herculè nemo docet, vel unquam docuit, Catechumenum quamdiu Baptismum contemnit, aut negligit, à sarcina iniquitatis suæ posse liberari, id est, justificari; quoniam justificatio, ut jam jam diximus ex Trident. fieri non potest sine lavacro regenerationis, aut ejus voto.

V u Anne

105. Prima pars satis colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. c. 4. ibi: Quæ quidem translatio, hoc est, justificatio, post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest. Ergo à contritio sensu, fieri potest per lavacrum regenerationis, aut ejus votum.

Profecò si contritio charitate perfecta reconciliat hominem Deo, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur, ut docet idem Concil. sess. 14. c. 4. Quidni etiam justificet hominem adultum ante realem susceptionem Baptismi? Enimvero teste eodem Concilio, eadem sessione c. 2. in fine: Est hoc Sacramentum Pœnitentiæ relapsi post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratus ipse Baptismus.

Confirmatur ex diversis Scripturis, quæ contritioni, & amor Dei super omnia simpliciter tribuunt vim justificandi. Ezechiel. 33. v. 12. Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & impietas impij non nocet ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.

Quæ sit portò illa conversio significat Dominus apud eundem Prophetam cap. 18. v. 21. dicens: Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vitâ vivet & non morietur. Consonat Christus Matth. 4. v. 17. Exinde cepit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum celorum. Et Luc. 15. v. 7. Dico vobis quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.

Ad lacrymas autem Mariæ Magdalene quid? Remittuntur ei peccata multa, quoniam diligens dilexit multum. Luc. 7. v. 47. Si quis enim diligit me, ait Joannis 14. vers. 23.

Licet merito suo non adæquet demeritum culpa.

Contra hoc opponitur D. Augustinus.

108. Explicatur.

109. Baptismi votum non stat cum ejus contritione.

105. Sufficit Baptismus in voto. Trident.

106. Confirmatur ex diversis scripturis. Ezech. 33.

Item 18.

Contritioni & amor tribuuntur vim justificandi. Marc. 4.

Luc. 15.

Item 7.

Anne contemptus Baptismi, ejus votum? Absit ut dicamus eum amare Deum super omnia, aut ex tali amore dolere de peccatis, qui negligit, aut contemnit præceptum divinum graviter obligans omnes adultos, etiam alioquin justos, ad suscipiendum Sacramentum Baptismatis. Neque enim simul consistunt, aut in una fede, id est, animâ, morantur dilectio Dei super omnia, detestatio peccati cum proposito de cætero non peccandi, & actuale peccatum mortale.

Sicuti nec amor Dei super omnia cum actuale peccato.

110.

Adde per sarcinam iniquitatis non malè à quibusdam intelligi pœnas temporales peccatis remissis debitas, quæ rarissimè per Baptismum in voto ex toto remittuntur. Unde subdit S. Doctor: *Quomodo non caruit populus Israël populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum; sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi pervenerit, in quo tota pœna temporalis dimittitur, quæ merito pressura appellatur, priyans animam Dei visione ac fruitione.*

S. Aug. 11.

111.

Prima interpretatio apparet verior, & menti D. Augusti. conformior, & non obscure deducitur, etiam ex primo loco supra allegato pro contraria sententia, quem proinde eodem modo intelligimus. Et enim, ut omitam, similitudinem semper claudicare; adeoque bono Catechumeno ita Baptismum necessarium esse necessitate præcepti, sicut conversio necessaria est necessitate mediij malo baptizato, certissimum est mihi, & omnibus esse debet, Sanctissimum Præfulem illis verbis nequaquam voluisse negare, hominem Deo posse reconciliari, antequam Sacramentum Baptismi actu suscipiat, & per consequens glorificari, juxtâ illud Apostoli (quod non potuit ignorare) Roman. 8. *verf. 30. Quos iustificavit, illos & glorificavit.* Si tamen in illa iustitia decesserint. Et verò quid obstat quò minus homo in iustitia accepta ante Baptismum possit decedere?

Rom. 8.

Charitas perfecta & sincera non est sine remissione peccatorum.

Introspeciamus penitiùs verba Doctoris Sancti, & omnes mirabimur quorundam cecitatem, qui freti ejus auctoritate, ausi fuerunt asserere: Charitatem perfectam & sinceram, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in penitentibus posse esse sine remissione peccatorum. Item per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto Sacramenti conjunctam non remitti crimen extra casum necessitatis, aut Martyrij sine actuale susceptione Sacramentorum.

112.

Sic autem discurrit D. Augusti. lib. 4.

de Baptismo contra Donatistas c. 21. *Illud tamen senè quod de Catechumenis obprobatur Cypriano, quòd in martyrio deprehensi, & pro nomine Christi occisi, etiam sine Baptismo coronarentur; quid ad rem pertineat non satis intelligo, nisi quia forte dicebant multò magis hereticos cum Baptismo Christi posse ad regnum eius admitti, quòd Catechumeni admittentur, cum ipse dixerit: Nisi quis renatus fuerit &c. Quia in re nescio dubito Catechumenum Catholicum dignâ charitate flagrantem heretico baptizari antepone; sed etiam in ipsa intra Catholica bonum Catechumenum malo baptizari anteponimus; utique quia ille filius Dei adoptivus, ac hæres vitæ æternæ per gratiam sanctificantem; hic autem filius diaboli, & hæres æternæ damnationis per peccatum mortale.*

Nec ideo tamen (pergit D. Augusti.) Sacramento Baptismatis, quo iste nondum, ut iam imbutus est, facinus iniuriam, aut Catechumenum Sacramento Baptismi preferendum putamus, cum aliquem Catechumenum aliquo baptizato fideliorum meliorem, cognoscimus. Melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus, Simone baptizato: iste enim (nota) & ante Baptismum sancto Spiritu repletus est, ille & post Baptismum immundo Spiritu repletus est. Verum amen Cornelius si etiam Spiritu sancto iam accepto per Baptismum in voto, hoc est, per contritionem perfectam, aut amorem Dei super omnia, baptizari realiter voluisset post mortem reus peret.

Et infra: *Sicut ergo non debemus improbare iustitiam hominis, qua prius esse capta, quam coningeretur Ecclesie, sicut esse cepert iustitia Cornelij priusquam ipse esset in plebe Christiana, quæ neque si improbaretur, duxisset ei Angelus. Acceptæ sunt eleëmofynæ tuæ, & exaudita sunt orationes tuæ: neque si sufficeret ad capeffendum regnum calorum, ut ad Petrum mitteret, moneretur.*

Ubi non hoc putandum est voluisse D. Aug. Cornelium iustum, si in illa iustitia decessisset, fuisse damnandum, sed cum fides Christi explicita; similiter Baptismus, necessaria essent, non solum ad salutem, sed etiam ad iustitiam, necessitate præcepti; ne fortè cum tempore vincibiliter ignorares, & ex illa ignorantia contemneret fidem Christi, ac Baptismum, atque ita iustitiam, ac gloriam perderet, necessarium erat, ut ad eum ædificandum, hoc est, instruendum in mysterijs fidei, quæ ante adventum Christi non fuerant necessarij, nequidem necessitate præcepti, credenda, mitteretur architectus Apostolus Petrus.

Hanc

113. Hanc esse mentem D. August. colligo  
 8. August. insuper ex his, quæ habet ibidem c. 22.  
 Rom. 10. v. 10. ibi: *Quantum itaque valeat etiam sine visibili  
 Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus: Cor-  
 de creditur ad iustitiam, ore autem con-  
 fessio fit ad salutem, in illo latrone declara-  
 tum est; sed tunc impletur invisibiliter, cum my-  
 sterium Baptismi non contemptum religionis, sed  
 articulus necessitatis excludit.*

Nam multo magis in Cornelio & amicis  
 eius, quam in latrone (cum Christo cruci-  
 fixo) posset videri superfluum ut aqua etiam  
 tingerentur, in quibus iam donum Spiritus san-  
 cti, quod non nisi baptizatos alios accepisse sancta  
 Scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis  
 temporibus congruebat, cum linguis loquerentur,  
 enumerat; Baptizati sunt tamen, & in hoc factio  
 Apostolica extat auctoritas, baptizandi scilicet  
 eos, quos ante Baptismum constat accepisse  
 Spiritum sanctum per Baptismum  
 Fluminis. Usque adeo nemo debet in quolibet  
 proventu interioris hominis, si forte ante Baptis-  
 mum Fluminis usque ad spiritalem intellectum  
 pio corde profecerit, contemnere Sacramentum,  
 quod ministrorum opere corporaliter adhibetur,  
 sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritali-  
 ter operatur, dans fidei, spei & charitatis aug-  
 mentum, sicut scriptum est: *Qui iustus est  
 iustificatur adhuc.* Apoc. ult. v. 11.

Et inquirens rationem, ob quam Joanni  
 fuerit attributum munus baptizandi, in-  
 quit: *Ut Dominus ipse qui dederat, cum servi  
 Baptismum non sprevisset accipere, dedicaret hu-  
 militatis viam, & quanti pendendum esset sum-  
 mæ Baptismi, quo ipse baptizaturus erat, tali factio  
 apertissime declararet. Videbat enim tanquam  
 peritissimus medicus salutis æternæ, quorundam  
 non defuturum tumorem, qui cum intellectu ve-  
 ritatis, & probabilibus moribus ita profecis-  
 sent, ut multis baptizatis vitæ, atque doctri-  
 nâ se præponere minime dubitarent, superva-  
 canem sibi esse crederent baptizari, quando  
 ad illum mentis habitum se pervenisse crederent,  
 ad quem multi baptizati adhuc ascendere cona-  
 rentur.*

Quis ergo credat August. negasse om-  
 nibus Catechumenis ante realem susceptionem  
 Baptismi Fluminis gratiam iustifican-  
 tem? Sanè Cornelium fuisse iustum non  
 posset clariùs docere, quam docuit c. 24.  
 illis verbis: *Veraciter conicere possumus, quid  
 valeat in parvulis Baptismi Sacramentum, ex  
 circumcissione carnis, quam prior populus acce-  
 pit, quam priusquam acciperet, iustificatus est  
 Abraham, utique internâ Spiritus sancti  
 gratiâ, sicut Cornelius etiam dono Spiritus san-  
 cti priusquam baptizaretur datus est.*

Et paucis interpositis: *Sicut ergo in Abra-  
 ham præcessit fidei iustitia, & accessit circum-*

*cisio signaculum iustitiæ fidei, ita in Cornelio  
 præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus  
 sancti, & accessit Sacramentum regenerationis  
 in lavacro Baptismi.*

Porro ex his omnibus sic concludit c.  
 25. *Quibus rebus omnibus ostenditur aliud esse  
 Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cor-  
 dis, sed salutem hominis ex utroque compleri;  
 nec si unum horum defuerit, ideo putare debe-  
 mus consequens esse, ut & alterum deit, quia  
 & illud sine isto potest esse in infante, & hoc  
 sine illo potest esse in latrone, complemte Deo sive  
 in illo, sive in isto, quod non ex voluntate de-  
 fuisset. Cum verò ex voluntate alterum ho-  
 rum defuerit, reatu hominem involvi, & Ba-  
 ptismus quidem potest inesse ubi conversio cor-  
 dis defuerit, Conversio autem cordis potest qui-  
 dem inesse non percepto Baptismo, sed contempto  
 Baptismo non potest. Neque enim ullo modo di-  
 cenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei  
 Sacramentum contemnitur.*

Atque hoc solum voluit, quando su-  
 pra c. 22. dixit, conversionem cordis iusti-  
 ficare, cum ministerium Baptismi non contem-  
 ptus religionis, sed articulus necessitatis excludit;  
 non quasi perfecta Dei dilectio super om-  
 nia, aut contritio charitate perfecta extra  
 necessitatem non iustificet, sed quoniam  
 illa haberi non potest, ubi adest contem-  
 ptus Sacramenti necessarij ex iure divino  
 positivo; quod verissimum est.

Necessarij dico, ex iure divino positivo.  
 Quæris unde id sciam? Jam edissero.

### CONCLUSIO IX.

Adulti sufficienter instructi, si  
 desit iusta causa, iure divi-  
 no Baptismi susceptionem  
 diu differre prohibentur;  
 convenit equidem duo Ba-  
 ptismi solemnibus tempora, et si  
 multi adhuc restent menses,  
 expectari.

D Ari aliquod præceptum Baptismi di-  
 vinum positivum generaliter obli-  
 gans omnes adultos qualitercumque ante  
 Baptismum iustificatos, diximus in fine præ-  
 cedentis sectionis, & ad minus probant hæc  
 Scripturæ Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fue-  
 rit &c.* Matth. ult. v. 19. *Et tunc docete omnes  
 gentes baptizantes eos &c.* Mar. ult. v. 15. *Eun-  
 tes in mundum universum predicare Evangelium*  
 V u 2 omni

114.

Quæ iustifi-  
 catio ha-  
 beri non  
 potest con-  
 tempto Ba-  
 ptismo.

115.  
 Cuius præ-  
 ceptum  
 obligat om-  
 nes adultos  
 etiam ante  
 iustificatos.  
 Joan. 3.  
 Matth. ult.  
 Mar. ult.

116.  
 Licet ante  
 quam ba-  
 ptizaretur  
 fuerit iusti-  
 ficatus.

omni creatura. Additur v. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

Obiectio solvitur.

Nec obstat quod non dicatur, vel baptizatus fuerit; tum quia hoc satis exprimitur in verbis Christi Joannis 3. Non potest introire in regnum Dei: tum maxime, quia voluit Christus in illo loco significare longe diversam esse necessitatem fidei, & Baptismatis; quippe sine reali actu fidei supernaturalis impossibile est ad ultimum placere Deo; possibile autem absque Baptismo realiter suscepto, ut mox ostendimus, per Baptismum in voto.

Replica solvitur.

Sed, inquis, quidni etiam sufficiat fides in voto? Respondeo nullus datur actus supernaturalis in quo fides virtualiter continetur, cum ipse sit primus actus & fundamentum ceterorum, juxta illud Trident. sess. 6. c. 8. Fides est humana salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire. Sed de necessitate fidei in proprio tractatu.

Trident.

116. Ostenditur preceptum Baptismi primò ex particulari potestate data Apostolis.

Certe frustra daretur Apostolis particularis potestas predicandi Evangelium, & baptizandi, si illi qui precepti capaces sunt non tenerentur fidem, vel Baptismum suscipere. Quis dubitat Apostolos Actuum 2. & 3. baptizasse eos, qui priùs per Circumcisionem, aut aliud remedium erant justificati? Quare, nisi quia obligabantur ad Christianismum & ingressum Ecclesie, cujus janua est Baptismus; quemadmodum Circumcisio janua erat veteris legis, obligans etiam adultos alio remedio regeneratos?

Secundò ex Scriptura Joan. 3.

Et cui quæso primò omnium legitur Christus necessitatem Baptismi aperuisse? Nonne Nicodemo Principi Judæorum? Quibus verbis? Amen amen dico tibi, Joannis 3. v. 3. nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Indubie renatus erat Nicodemus per Sacramentum Circumcisionis, vel aliud remedium legis naturæ, & tamen à Christo audivit, nisi denuo renasceret per Baptismum post Evangelium promulgatum non visurum se regnum Dei.

117. Joan. 20.

Nescis quod ex illis verbis Joannis 20. v. 22. & 23. Accipite Spiritum sanctum quorum remisistis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, quibus Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ, universa Ecclesia semper intellexerit integram peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere? Sed cur hoc? Quia qui habet potestatem ligandi peccatorem & excludendi

à regno cælorum, liquet profectò quod sit Judex necessarius; utpote qui per negationem veniæ relinquit peccatorem excludum.

Et ideo dicitur Confessarius accepisse claves cæli, quando enim alicui dantur claves domus clausæ, recursus ad ipsum fit medium necessarium, ut aliquis domum illam ingrediatur. Ergo similiter cum scriptum sit: Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei: non potest introire in regnum Dei, liquet profectò ministerium Baptismi esse necessarium vel ad deletionem peccati originalis, quod occludit ingressum cæli, etiam parvulis; vel cerè ad evitandum peccatum mortale actuale, quod adultis, etiam præviè à peccato originali liberatis, mortem animæ adfert præsentem & sempiternam.

Hanc veritatem Catholicam quam videtur Trident. definitisse sess. 7. de Sacramento Baptismi can. 5. Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit: hanc, inquam, necessitatem antè Concil. expressis verbis tradidit Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 6. n. 2. Respondeo dicendum quod post Baptismum promulgatum per mandatum precepti, quilibet qui litercumque justificatus, qui non impleret illud preceptum, cum quo Deus non dispensavit specialiter, ut non teneretur ad illud, tenetur ad Baptismum affectu, & pro loco & tempore effectū, si manet viator nobiscum, quousque potest commode recipere in effectū.

Ratio fundamentalis est: Quia lex universaliter promulgata omnes obligat (universaliter dico illam promulgari, in cuius promulgatione non est aliqua exceptio personæ, sive cuiuscunque exceptio personæ vel circumscriptio circumstantiæ) tale fuit preceptum de Baptismo suscipiendo. Rationes congruentiæ

Prima; Quia congruum fuit omnes de lege Christiana habere unum signum, in quo convenirent inter se, & distinguerentur ab alijs. maxime illud signum, per quod ingrederentur observantiam huius legis: per eam enim susceptionem adscribuntur illi legi, & dicitur de similita Christi.

Secunda; Quia quilibet viator tenetur esse membrum Ecclesie militantis; non tantum in scientia divina, sed etiam quantum ad notitiam aliorum membrorum, quantum in se est: quia tenetur cum alijs membris communicare in his, qua pertinent ad observantiam legis, & eos non scandalizare. Si autem non acciperet Sacramentum, per quod fit membrum Ecclesie secundum iudicium Ecclesie, non esset apertus ad communionem cum alijs membris in multis adibus pertinentibus ad Ecclesiam, (puta, in susceptione



Sect. 4. De Subject. & prac. Baptif. Concl. 9. 341

tione ceterorum Sacramentorum) scandalizaret etiam active alia membra, quae haberent occasionem iudicandi ipsum continere communitatem.

Tertia; Quia qui potest ex actu facili magnam gratiam acquirere, si negligat illum actum, videtur gratiam continere, vel saltem eam non ita appetiari, quantum est appetibile: sed ille qui non est baptizatus, quantumcumque aliter sit iustificatus, per actum facilem, scilicet per susceptionem Baptismi, potest magnam gratiam acquirere; quia quantumcumque perfectio de lege communi accedenti ad Baptismum, augetur gratia: ergo si negligat videtur continere gratiam, & dat alijs occasionem sic iudicandi.

Objicit sibi Primò: quia non legitur de Apostolis, nec de B. Virgine, quod fuerint baptizati. Respondet n. 3. probabile esse quòd Apostoli fuerint baptizati: Quia Christus, inquit, fecit eos sacerdotes, conferens eis in cena potestatem consociendi corpus Christi dicens, Quotiescumque &c. Et conferens eis post resurrectionem potestatem absolvendi Joannis 20. Quorum remisit &c. Contulit eis etiam officium baptizandi solemniter Matth. ult. Euntes baptizate &c. Ordo autem Sacerdotij supponit Baptismum, saltem de congruo, Extra. de Presb. non baptizato. c. Veniens.

Ubi Innoc. III. decernit juxta decreta Concilij apud Compendium celebrati, Presbyterum non baptizatum esse reordinandum post Baptismum ritè susceptum, cum, ut praemittitur, Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, & ubi fundamentum non est, superaedificari non potest. Sic, inquam, decernit non obstante quòd aliquibus contrarium videretur propter hanc rationem:

Nam cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur procul dabo membrum Christi (invisibile) & qui Christum habet per fidem, etiamsi Baptismum non habeat, habet utique fundamentum praeter quòd aliud poni non potest, quòd est Christus Iesus: superaedificare posse videtur, sicut salutaria opera sic & qualibet Ecclesiastica Sacramenta. Quae ratio facile solvitur attentà visibilitate Ecclesiae Christi, ad quam indubie requiritur visibilitas membrorum per externam professionem fidei, quae fit in Baptismo.

Porrò cetera Sacramenta specialiter à Christo instituta sunt, ut renatis fonte Baptismatis, una sit pietas externa actionum, quibus à ceteris fidelibus seu infidelibus distinguantur. Unde definitur Ecclesia: Cœtus hominum Christianae fidei profes-

sione in Baptismate, & ceterorum Sacramentorum participatione, sub uno legitimo Pastore coadunatorum. At verò opera salutifera, sicuti ante Ecclesiam Christi communia erant, & proderant quibuscumque fidelibus iustis, ita eandem utilitatem retinent post ejus institutionem.

Cæterum, Baptismum Apostolorum probabiliter docuit D. Aug. Epist. 108. vide scilicet. 1. hujus disp. conclus. 1. ubi habes ejus verba. Euthymius in c. 3. Joannis sic inquit: Scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quòd Christus Petrum, & Virginem Mariam baptizavit: Petrus verò reliquos Apostolos.

Hanc traditionem Nicephorus Calixtus lib. 2. Hist. c. 3. alijs verbis proponit dicens: Divinus Evodius, & ipse Apostolorum successor fuit, in Commentarijs suis, praecipue autem in Epistola, quam Lumen inscripsit, haec quoque posuit: Christus, inquit, manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit; Petrus porò Andream, & filios Zebedae; ij deinceps reliquos Apostolos &c. Sed non sunt convenientia testimonia eorum, quoniam quòd unum asserit, alterum negat.

Ut ut sit, potuit Christus per specialem dispensationem velle illos assumere sine Baptismo in familiam suam, & constituere Principes suae Ecclesiae; sicut etiam eos confirmavit per visibilem descensum Spiritus sancti in linguis igneis. An autem dispensaverit non legitur.

Scotus supra ait: Nec videtur necessitas quòd Christus cum Apostolis in hoc dispensaverit: quia nulla videtur ratio dispensandi, nec aliqua necessitas, vel utilitas consecuta; cum nec ipsi essent gratiores Deo per hoc quòd non baptizati: nec fuissent efficaciores Doctores in Ecclesia. Imò videtur quòd minus efficaces, quia minus valet Magister moralis, qui non vult opere complere, quòd docet, secundum Gregorium. Christus etiam in seipso voluit Baptismum suscipere, saltem Joannis, antequam legem Baptismi alijs imponeret, quia Actor. 1. dicitur; Cepit Iesus facere, & docere.

Magis dubitat Doctor an non dispensaverit Christus cum B. Virgine. Confimiliter, inquit, supponendum est de B. Virgine, quòd fuerit Baptizata: nisi forte ipsa sit excepta ab illa lege, & de ea fuisset ratio dispensandi: quia forte habuit in conceptione filij sui illam plenitudinem gratiae, ad quam Deus disposuit eam pervenire.

Objicit Secundo; baptizatus Baptismo Sanguinis non tenetur ad Baptismum Fluminis; ergo nec baptizatus Baptismo Fluminis.

Respondet n. 4. negando antecedens, V u 3

121.  
Baptismum  
Apostolorum  
docuerunt  
Fares,  
S. Aug. &  
Euthymius.

Nicephorus  
Calixtus.

Scotus.

122.  
Ab hac  
obligatione  
non libera-  
tur Baptiza-  
tus Baptis-  
mo sangui-  
nis.

120.  
Cui praee-  
pro latifese-  
cerant D.  
Virgo &  
Apostoli.

Innoc. III.  
Cum Bap-  
tismus sit  
fundamen-  
tum om-  
nium Sa-  
cramento-  
rum,

Non sic  
operum sa-  
lutarifero-  
rum,

Si postea est nobiscum viator.... hoc autem quod supponitur est bene possibile, sicut de quibusdam legitur, quod sum facti vis confessorum, quia susceperunt bis penas pro fide, propter quas tamen non sunt mortui, Deo per miraculum mortem impediente. Si autem Baptismus Sanguinis sit completus ultimo extrinseco complemento, quia sic baptizatus moritur, & non remanet nobiscum viator, non est obligatus ad præceptum viatoris: Sacramenta autem non habent locum nisi pro statu vie.

123.  
Neque frustra suscipitur  
ante iustificatum,

Objicit Tertio; nullus tenetur recipere Sacramentum frustra, quia in operibus Dei nihil est frustra; sed Baptismus à iustificato frustra accipitur, cum non habeat effectum, qui est ablutio animæ à peccato; jam enim prius est ablutus.

Respondet supra negando Minorem: Quia gratia ibi augetur, nisi pervenerit ad terminum: & si forte prius pervenerit, additur ibi meritum obediendo præcepto divino: nec etiam est frustra post plenitudinem gratiæ, si quis eam haberet, addere opera meritoria, juxta illud Christi Matth. 5. v. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.

124.

Objicit Quarto & ultimo: Injuria est Sacramento, facere quantum in se est, quod ipsum sit signum falsum; sed talis suscipiens facit hoc; quia caret tunc signato; quia tunc non dat gratiam; ergo &c.

Neque ipsum falsificat Sacramentum,

Respondet supra negando Minorem: Quia vel ibi confertur gratia aliqua, & tunc est signum practicum verum: vel nulla, si iam prius erat gratia perfecta, & tunc est signum verum practicum, non respectu eius quod est gratia in fieri, sed in esse; hoc est, ut loquitur 4. dist. 1. q. 6. n. 12. Quia gratiam significaret vel tunc fieri, vel prius datam tunc inesse.

125.

Sed instat: Saltem non habet secum significatum, scilicet abluitionem à peccato.

Respondet; Quod illa ablutio significatur, vel tunc in fieri, vel tamquam quæ nunc inest, vel tamquam insenienda quantum est ex parte Sacramenti, si scilicet aliquid inesset, à quo anima esset abluenda. Igitur ex mente Doctoris Subtilis verificatur forma Baptismatis in eo, qui non habet, nec unquam habuit peccatum originale, aut actuale.

Cum verificetur forma in eo qui nunquam habuit originale peccatum,

Confirmatur ex Baptismo adulti peccatoris valido, sed informi, qui non significat remissionem in facto, vel in fieri alicujus peccati; nam caret effectu gratiæ, per quam solam ex præsentis Dei ordinatione remittitur peccatum.

Sicuti verificatur in homine ficto vel hæretico,

Si ergo forma Baptismi vera est in homine ficto, aut hæretico, quamvis pro nunc sit incapax gratiæ, & per consequens re-

missionis peccatorum, quæ est principalis ejus effectus; quanto magis verificabitur in eo, qui capax est gratiæ, vel certe incapax, quia pervenit ad terminum, & nullum habuit peccatum, vel si habuit jam remissum est, atque ideo pro nunc incapax remissionis peccatorum; capax tamen omnium aliorum effectuum; ratione quorum vera est significatio formæ Baptismatis in hæretico, aut ficto?

Atque hac ratione B. Virgo, quæ caruit peccato originali, & libera fuit ab omni actu, per Baptismum accepisset characterem animæ impressum; nec non, secundum multorum opinionem, gratiam, etiam habitualementem; incorporata fuisset Ecclesiæ visibili; adimplevisset præceptum; ac denique reddita fuisset capax aliorum Sacramentorum.

Profecto si absolvitur forma à conferenda gratia, absolvitur etiam à connotatione, ac significatione peccati, quod solum connotat in quantum illud remittit actu per collationem gratiæ; quæ sola, ut dixi, habet annexam remissionem peccati, ejusque connotationem per modum termini à quo. Atque certum est Baptismum non semper practice significare saltem primam gratiam, ut patet in iustificatis per Baptismum in voto; ergo &c.

Si autem à me quaeritur quæ sit ergo essentialis significatio formæ Baptismatis? Respondeo duplicem habere significationem, unam speculativam ex institutione humana, quæ refertur ad abluitionem corporis, quæ in unoquoque habet locum, & nullatenus respicit peccatum esse, aut fuisset, vel remissionem ejus in effectu, aut virtute; cum ad alios fines, puta voluptatis, munditiei, aut salutis corporalis frequens sit usus balnearum.

Alter significatio est practica ex divina institutione, quæ instat signi sacramentalis quantum est ex parte sua confert gratiam remissionem peccati, adeoque remissionem peccati omnibus non ponentibus obicem, id est, subiecto capaci; gratiam, inquam, ejusdem speciei physiciæ cum illa, quæ confertur per Sacramentum Eucharistiæ; sicut ergo hæc non connotat peccatum esse, vel fuisse in communicante, ita nec illa in eo, qui baptizatur.

Baptismus quidem institutus est principaliter in remissionem peccatorum, secundum illud Symboli & Concilij Constantinopolitani: Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; sed non totaliter, quia præter gratiam sanctificantem, per quam remittit peccata, si quæ invenit subiecto

**Seet. 4. De Subject. & prac. Baptis. Concl. 9. 343**

non remissa, insuper animæ imprimi characterem indelebilem, quo fit membrum Ecclesiæ visibilis, capax cæterorum Sacramentorum.

128. Joannes in quo Baptizabat? Nonne in aqua in poenitentiam? Ego, inquit apud Math. c. 3. v. 11. *Baptizo vos in aqua in poenitentiam.* Et circumcisio quid significabat? Signum, inquit, erat foederis inter Deum & hominem, & professio Judaismi, & nota distinctiva Judæorum ab alijs Gæntibus.

Anne hoc solùm? Nonne & remedium fuit peccati originalis? Quid dicit Scriptura Gen. 17. v. 14. *Masculus cuius præputi caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Quare? Quia pactum meum in Adamo irritum fecit. Vide disp. 1. sect. 2. concl. 6. Vides, inquit D. Ambrosius lib. 2. in c. 2. Lucæ circa medium, omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri; nam & Circumcisio purgationem significat delictorum.

S. Ambrosius. Equidem, *Quem nemo potest*, verba sunt D. Bern. ser. 1. de Circumc. Domini in principio, *arguere de peccato* (Christum intelligit) ipse peccati remedium, & verecundam pariter, & austerum sine ulla necessitate suscepit. Et infra: *Qui peccatum non fecit non dignatus est se peccatorem reputari.* Ergo Circumcisio signum erat peccati: confirmat Baptismus Joannis.

An propterea signa falsa in Christo? Quis credat? Non habuerunt quidem, nec habere poterant hanc significationem in Christo, sed alias. Circumcisio, inquit Bern. supra, *veritatem probat suscepto humanitatis, confirmat legem à Christo datam, ostendit Christum esse de genere Abraham, cui promissus est, ut Judæi non haberent exculationem.*

Si itaque Christus potuit circumcidi, potuit baptizari Baptismo Joannis: quidni B. Virgo, quamvis sine peccato originali concepta, & ab omni peccato actuali libera, in veritate potuit baptizari Baptismo Christi? Senius igitur formæ sacramentalis est: *Ego te corporaliter abluo, & confero tibi quantum est ex parte Dei & Sacramenti gratiam remissionem peccatorum, & actualiter remittentem, si peccata in sint, & legitime sis dispositus.*

129. Dices: ergo malè Concil. Milev. & ex illo Trident. colligunt ex forma Baptismi peccatum originale parvulorum. Hæc sunt verba Milevitani c. 2. *Item placuit ut quicumque parvulos recentes ab utero matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenera-*

tionis. Lavacro expietur, unde sit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit.

Hunc Canonem transcripsit Concil. Trident. pauca additis sess. 5. in decreto de peccato originali §. 4. & tamen secundum jam dicta forma Baptismatis potest intelligi vera, etsi parvuli nihil ex Adam traherent originalis peccati.

Respondent aliqui per formam Partes illius Concilij non intellexisse formam essentialem, sed ceremonias Ecclesiæ; videlicet exorcismum, & alia quæ solent præmitti Baptismo solemniter. Vide dicta disp. 1. sect. 3. conclus. 1. & illa non sunt adhibita in Baptismo B. Virginis, neque præmittentur Baptismo eorum, de quibus certò constaret jam esse justificatos; de factò autem semper adhibentur in Baptismo parvulorum; quia sine speciali revelatione sciri non potest quemquam eorum esse justificatum per extraordinariam Dei providentiam; adultorum quoque justificatio regulariter est incerta, propter incertitudinem perfectæ contritionis, aut amoris Dei super omnia.

Sed contra ex D. Aug. lib. 2. de peccato originali c. 40. ubi sic ait: *Denique ipsa Ecclesiæ Sacramenta, quæ tam præca traditionis auctoritate concelebrant, ut osti (Pelagiani) quamvis in parvulis existentem similitudine potius, quam veraciter fieri, non tamen acdeant aperta improbatione resuere. Ipsa, inquam, sanctæ Ecclesiæ Sacramenta satis indicant parvulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quod in peccatorem remissionem non fallaci, sed fidei mysterio baptizantur, etiam prius exorcizantur in eis, & exsufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur sese renuntiare respondent. Ecce aperte distinguit formam Baptismatis in remissionem peccatorum ab exorcismis, & alijs ceremonijs, quæ solent præmitti Baptismo solemniter. Quapropter*

130. Respondet Secundò; Concilia loqui non solùm de toto ritu accidentali, sed etiam de ipso Sacramento, seu forma essentiali Baptismi; cuius significatio sacramentalis & practica ex subiecta materia foret falsa, nisi per eam in parvulis fieret remissio peccati originalis.

Explico, & expendo rationem illius decreti, quam ibidem Concil. Milevitani subjungit in hæc verba: *Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors,* & ita

Per formam non solam intelligendo totum ritum accidentalem,

130. S. Augustinus

131. Sed etiam formam essentialem Baptismi

Ut colligitur ex Concilio Milevitano.

Circumcisio non fuit signum falsum in Christo.

Cur ergo Baptismus signum falsum in B. V.?

Reste nihilominus ex forma Baptismi colligitur originale peccatum.

& ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Et Trident.

Addit Concil. Trident. Nisi enim quis renatus fuerit &c. Igitur fundamentum totius canonis petitur ex Scriptura, Traditione Ecclesiae, forma baptizandi & necessitate Baptismi.

132.

Supponit autem utrumque Concilium ex Apostolo Rom. 5. accedente Traditione sive communi intellectu Ecclesiae, omnes homines concipi, & nasci in peccato originali, nisi per privilegium quispiam eximatur, ut pie creditur de B. Virgine, quam propterea in fine excipit Trident. ab illo decreto dicens: Declarat tamen hac ipsa sancta Synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem &c. Loquitur ergo non de quibuscumque parvulis, sed de infectis peccato originali.

Quae supponunt omnes secluso privilegio nasci in peccato originali.

133.

Item parvulos habere non posse actuale peccatum;

Supponit Secundò, parvulos non habere peccatum actuale, aut habere posse; quia non habent usum sui arbitrij sive in bonum, sive in malum; ac proinde non posse justificari per Baptismum in voto, hoc est, per actum contritionis aut amoris. Unde fit consequens eos veraciter baptizari in remissionem peccati originalis, contra errorem Caelestij, qui admittebat parvulos baptizari in remissionem peccatorum; non originalis, quod negabat; sed actualis per propriam voluntatem commissi.

Cujus opusculum docuit Caestius

Enimvero cum ex Traditione Apostolica, & ipso ritu Ecclesiae; fortè etiam ex ipsis verbis formae tunc consuetae, atque Pelagianis (quos ibi Concil. damnat) optimè notis & probatis, constaret parvulos baptizari in remissionem peccatorum, haud dubium quin in remissionem solius originalis.

Et sanè quòd Pelagiani concesserint Baptismum conferri parvulis in remissionem peccatorum ad oculum demonstratur ex ipsis Concilijs; anathema enim dicunt illis, qui vel negant parvulos baptizandos (à quo ipsi longè aberant, ut statim patebit) aut docent in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati; quae erat ipsissima Pelagianorum sententia; quod sic ostendo.

134.

Ipsè Caestius in libello Romae edito

(ut refert D. Aug. lib. 2. de Gratia Christi & peccato originali c. 5. & 6.) Infantem, inquit, debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalem Ecclesiae & secundum Evangelij sententiam confitemur. Sed non idcirco ut peccatum ex traduce firmare videamur; verum ne diversa Baptismatis genera facere videamur; quia (ut intelligit Petavius l. de Pelag. haeresi c. 6.) baptizantur eodem Baptismo, quo alij in peccata lapsi, seu Baptismo ex se idoneo ad peccata remittenda.

Accedant verba D. August. supra c. 17. Nam neque parvulus negant (Pelagius & Caestius) Baptismi Sacramentum, neque absque redemptione Christi aliquibus eorum regna promittunt.

Sed quomodo redemptio, si nulla omnino culpa aut debitum? Sequentia verba lego apud D. Aug. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 34. Fatentur (Pelagiani) etiam in parvulis per Baptismum remissionem fieri peccatorum. Nec mirum, non enim redemptio alio modo posset intelligi. Non tamen originaliter, inquit, sed in vita iam propria postquam nati sunt, peccatum habere caperunt. Et infra:

Proinde isti posteriores intendo Scripturas, & auctoritatem totius Ecclesiae, & formam ipsius Sacramenti, bene viderunt per Baptismum in parvulis peccatorum fieri remissionem, sed ut originale esset, quidquid illud in eis est, vel nolent dicere, vel videre non possunt. Illi autem priores in ipsa natura humana, quae ab omnibus ut consideretur in promptu est, bene viderunt quòd facile fuit atatem illam in sua iam vita propria nihil peccati potuisse contrahere, sed ne peccatum originale facerentur, nullum esse omnino peccatum in parvulis dicunt. Ideoque absolute negant parvulis Baptismum, ne scilicet in eis forma essentialis Baptismatis in remissionem peccatorum falsa intelligatur.

Hanc duplicem haeresim damnat Concil. Milevitanum, cui D. August. interfuit, similiter Concil. Trident. Unde non fuit intentio istorum Conciliorum ex veritate essentialis formae Baptismatis efficaciter concludere peccatum originale in unoquoque subiecto hujus Sacramenti; sed ex veritate formae in remissionem peccatorum, inferre peccatum originale in parvulis, extraordinario medio non justificatis. Virgo autem Beata, etsi verè fuerit baptizata eadem formà, quae jam parvuli, tamen non in remissionem peccatorum, uti illi.

Arguis rursùm; Beata Virgo non fuit capax poenitentiae; ergo neque Sacramenti regenerationis. Consequentia probatur; quia Sacramentum poenitentiae non magis respicit peccatum actuale post Baptismum commissum.

commisum, quam Baptismus peccatum originale, aut actuale antea commissum.

Respondeo negando consequentiam, & ejus probationem: nam ut docet Trident. sess. 14. c. 3. Quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ sunt ipsius pœnitentiæ actus, nempe contritio, confessio & satisfactio. Porro contritio est dolor animi & detestatio de peccato commisso; quod proinde est materia circa quam. At verò materia Baptismi non est peccatum originale vel actuale; sed aqua & ablutio corporis; quæ constant nihilum dicere ordinem essentialem ad aliquod peccatum; adeoque veraciter abluui potest corpus, cujus anima nullo umquam tempore obnoxia fuit peccato: dolere autem non potest quisquam de peccato, aut cogitare peccatum; aut pro peccato satisfacere; & per consequens nec absolutionem à peccato accipere, qui semper ab omni culpa exitit immunis.

Non ergo ideo Pœnitentiæ dicitur ordinem ad peccatum præteritum, quia instituta est contra peccatum; hoc enim etiam convenit Baptismo; sed ex modo speciali suæ institutionis, ratione cujus respicit peccatum, ut materiam, circa quam perficitur ordo judicialis sive judicium, ad cujus normam instituta est, & exercetur potestas ligandi atque solvendi; ideoque requiritur peccatum esse, vel fuisse, de quo per se cognoscit: Baptismus autem respicit peccatum tantum ut terminum à quo, si inest; adeoque ex conditione subjecti, non ex conditione materiæ aut formæ.

Quæ cum ita sint, sequitur adultum quantumcumque justificatum; in periculo mortis constitutum, teneri absque dilatione suscipere Baptismus: quippe cum semel in vita debeatur eum recipere, & per illum in Ecclesiam militantem introire, vel tunc saltem obligatur ad ejus susceptionem.

Porro extra periculum mortis, quandoquidem non sit jure divino certum aliquod tempus præfixum, sicut erat Circumcisioni octavus dies, DD. (quorum sensus multum momenti habet in legis divinæ interpretatione) unanimiter statuunt primum tempus opportunum post sufficientem instructionem, nisi adsit rationalis causa differendi.

Enimverò cum quilibet obligetur aliquando per susceptionem Baptismi ingredi Ecclesiam Christi, & fieri membrum ejus visibile, vel tunc obligatur, cum nulla sit ratio cur potius alio tempore intermedio; vel non nisi in articulo

mortis, quod absolum apparet, & contrarium menti instituentis. Siquidem status hujus vitæ est status Ecclesiæ militantis. Quòd si omnes differre possent Baptismum usque ad mortem, certè vix ulla esset Ecclesia militans.

Bene dixit D. Chrysof. in Epistolam ad Heb. homilia 13. ad c. 7. & refertur de consec. dist. 4. c. 128. Quando quis propere peccat, ut sanctum Baptisma in novissima sua expiratione suscipiat, fortassis non adipsiscitur. Et credite mihi: non terrens vos dico, quod diciturus sum. Multos novi, qui hoc passusunt, qui sine Baptismatis multa peccabant, circa diem autem mortis discesserunt vacui. Deus enim propter hoc Baptisma tribuit, ut solvat peccata, non ut addat. Si verò quis ad hoc ventur Baptismate, ut ampliora delinquat, ipsum sit negligentis causa.

Profectò non sufficit in Ecclesia mori, sed oportet in ea vivere: ideo namque Christus instituit Ecclesiæ Pastores, à quibus homines in Ecclesia regerentur, & dedit eis Sacramenta iterabilia, quibus continuo pascerentur: ac proinde sine suo frustrarentur tam Baptismus ipse, quam cætera Sacramenta, quorum non baptizatus est incapax, & per Baptismum fit capax.

Itaque (& est ratio à priori) videtur ita à Christo institutum hoc Sacramentum, ut cum primum commodè potest suscipi, id est, quando nulla est ratio differendi, suscipiatur; cum non solum in remissionem peccatorum (uti Pœnitentiæ & contritio, quæ non obligant ad statim) sit institutum; sed etiam ut quisque fidem Catholicam profiteatur; ob quod in ipsa forma invocatio SS. Trinitatis continetur.

Quare sicuti ex præcepto fidei tenetur quisque credere quam primum mysteria fidei satis ipsi sunt proposita; sic & eandem debet exterius profiteri in hoc Sacramento, quo recipitur ad cætum à Christo fundatum, ut subditus sit ejus capiti, & capax cæterorum Sacramentorum. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Roman. 10. vers. 10.

Cum hac tamen differentia, quòd sæpe possit ad aliquod tempus differri illa externa confessio, quæ fit per Sacramentum Baptismi, propter varia impedimenta occurrentia, de quibus statim; fides autem interna semper obliget hoc ipso quòd adeò perfectè motiva credibilitatis sunt proposita homini, ut non maneat amplius aliquid rationabiliter considerandum, hoc est, quando evidentia credibi-

X x

credibi-

Hujus enim quasi materia sunt actus pœnitentiæ juxta T. id.

Necessario supponentes peccatum:

Circa quod perficitur ordo judicialis.

Baptismus respicit peccatum ut terminum à quo, si inest subiecto.

136.

Ad illum suscipiendum obligatur adultus,

Pro prima opportunitate extra mortis periculum,

S. Chrysof.

Ne Baptismus, aliæque Sacramenta sine suo fructu fruantur.

137.

Baptismus enim est quædam externa fidei professio.

Rom. 10.

138.

Quæ sæpe potest ad aliquod tempus differri,

Licet fides interna statim obliget propositis credibilitatis motivis,

credibilitatis determinat hominem ad iudicandum se peccatum, si hinc & nunc dubitet de existentia revelationis.

Ratio in promptu est, tum quia prima veritas hoc instar homagij ac primitiarum seu primi tributi exigit; tum quia fides est cultus & reverentia, quæ debetur auctoritati divinæ aliquid nobis proponenti & testificanti, sicuti debetur cultus ac reverentia Regi nobis occurrenti. Vel sic: quia moraliter loquendo, quando in homine prius incredulo nulla amplius subest ratio dubitandi, fieri non potest ut talis merè negativè se habeat; sed, cum semper maneat proposita divinæ auctoritatis revelans, illic non credens, censetur id facere ex aliqua positiva discredencia, aut certè hæsitacione seu dubitatione circa objecta fidei, vel eorum veritatem, quod indubiè repugnat præcepto fidei, quo obligamur non dubitare, minùs discredere articulo à prima veritate revelato, & proposito cum evidentiã credibilitatis.

Utere cultus debitus auctoritati divinæ;

Nisi quis se habeat merè negativè;

Quod fieri posse quidam asserit;

139.

Contradictente Lugone;

Ex eo quod fides interna sit quidam cultus;

Cæterò quoniam si quis merè negativè se haberet, cogitans hoc modo: *Ego volo elicere actum fidei, quando tempus præcepti determinate adert, necdum tamen volo isti eliciendo incumbere, etsi nolim discredere, aut etiam dubitare*; si, inquam, talis aliquis esset, non satis apparet, quare graviter obligaretur ad eliciendum actum fidei quàm primùm physicè loquendo; sicut homo perveniens ad usum rationis, non debet primo instanti, quo ei divina bonitas proponitur, elicere actum amoris, sed omnino sufficit, quòd saltem non nimis diu differat. Idem ergo sufficit in præsentem.

Responderi possit ex Lugone de Pœnitentia disp. 7. sect. 11. n. 233. negando consequentiam. Differentiam colligit ex ipsa conditione cultus & reverentiæ, cujus præceptum affirmativum (de illo enim loquimur; nam negativum proculdubio obligat pro semper) tum maximè videtur obligare, quando occurrit, aut loquitur nobis ille, qui coli debet, ipsaque dilatio cultus, irreverentia quædam est. Porro cultus fidei tunc potissimum debetur, quando loquitur aliquis nobis, cui fidem oportet adhibere; pro illo quippe instanti fidem exigit, cum omnis locutio tendat ad hoc, ut eadem fiat mens & sensus utriusque. Amor autem non magis positivè debetur, quando præsens occurrit, qui amari debet, quàm dum est absens. Sic filius, si patri venienti non assurgat, aut eidem aliquid asseveranti non credat, facit contra reverentiam patri debitam, quæ pro eo maximè tempore obligat; si tamen patrem non amat positivè,

quando ei præsens adest, non facit contra debitum amandi, si eum tempore debito diligat; neque enim amandi tempus illud magis est quàm aliud, sicut colendi.

Sed, ut verum fatear, hæc non probant, nisi amorem diutius posse differri, quàm fidem; hæc autem in ipso instanti physico, quo objectum est sufficienter credibile, debere elici minimè evincunt. Nam gratis concesso, fidem esse quemdam cultum, & non potius actum virtutis à religione, & ceterisque distinctæ, cujus honestas est adherere Deo super omnia per intellectum; sicuti honestas amoris divini est adherere Deo super omnia per voluntatem; illo, inquam, admissio, unde constat me debere quàm primùm physicè Regi occurrenti exhibere cultum v. g. genuflexionem, aut depositionem pilei? Quare non sufficit, quòd statim moraliter assurgam, aut genuflexam, aut pileum deponam?

Certè nemo circumstantium parvulam moram irreverentiam interpretatur, & existimabimus Deum tam rigidum exactorem cultus sui, ut quamlibet minimam physicam dilationem actus fidei, hominis alioquin parati ad credendum, reputer positivam sui inhonorationem?

Confirmatur à simili; qui vocet religionem ingredi sine determinatione temporis, nequaquam tenetur quàm primùm physicè exple votum, licet scriptum sit Deuter. 23. vers. 21. *Cum votum voreris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Eccl. 5. vers. 3. *Si quid vovisti Deo, ut moreris reddere.* Sed sufficit adimpletio statim moraliter loquendo, id est, pro prima opportunitate; illaque requiritur, eò quòd vi voti istius totam vitam suam, & vitæ tempus offerat & consecret ad illum statum.

Ergo similiter præceptum divinum assumendi Religionem Christianam, obligat quàm primùm, id est, ejus adimpletio diu sine justa causa differri non potest, tum quia Deus exigit, ut totum tempus vitæ nostræ ipsi offeramus & consecremus ad statum Christianitatis; tum propter multa bona, quæ susceptionem Baptismi consequuntur, ut sunt fructuosa receptio aliorum Sacramentorum, participatio jurium Ecclesiæ, & translatio hominis à statu damnationis ad statum filiorum Dei ac æternæ salutis, quæ alioquin propter periculum subitanæ mortis, ut ex Sancto Chryl. supra audivimus, sepius evacuatur.

Nec obstat quòd præceptum consecrationis

**Secl. 4. De Subject. & prac. Baptis. Concl. 9. 347**

Ratio qua  
re Pœni-  
tentia po-  
tius possit  
differri  
quam Ba-  
ptismus.

tionis non obliget statim post peccatum, siquidem confessio non est spiritualis regeneratio, neque fundamentum Christianæ Religionis, minùs janua Ecclesiæ, sicuti Baptismus; sed solum præcipitur ex tua institutione in remissionem peccatorum; quæ quidem necessaria est ad salutem; sed sufficienter haberi potest per Pœnitentiam virtutem; quamvis nec hæc statim obliget post peccatum commissum, ut proprio loco videbimus, adstipulante communi praxi & sensu fidelium; quæ tamen in præfenti confirmant nostram conclusionem; mirantur siquidem & plerumque scandalizantur fideles, si videant quempiam sine justa causâ diutiùs differre Baptismum.

iplos dies, si nihil impediat, Baptismum differri convenit. Quæ est ultima pars conclusionis.

Ut autem ostendat non esse strictam obligationem continuò addit: *Verum si circa aut post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui agrè serant suum Baptisma in longum tempus differri, & ad illud festinent, instructiq; ac ritè parati esse noscantur, citius baptizari possunt.*

Licet non præceptum.

Ubi clarè supponit posse differri, & esse consultum, si non agrè serant, nec ita festinent, esto sint satis instructi, juxta regulam generalem, quam præmiserat: *Debet &c. à qua generali regula facit exceptionem, permittens non differri, si agrè serant &c.*

Igitur dilatio ista ex mente Pontificis, vel non est nimia per se loquendo; vel saltem, quod verius existimo, fulcitur rationabili causâ; tum ut sit conformitas cum instituto Apostolico, tum ob rationem temporis specialiter ad hoc mysterium accommodati, scilicet passionis ac resurrectionis Christi, atque missionis Spiritûs sancti per abundantiam gratiarum in Pentecoste; tum ob majorem solemnitatem.

143.

Ex quo patet talem dilationem esse rationabilem;

Alioquin sicut illi, qui dicunt præceptum pœnitentiæ, aut amoris Dei non obligare solum in articulo mortis; sed etiam aliquoties in vita, sic ut non possit nimium differri; docent tamen tempus illud non consistere in indivisibili; sed posse differri per unum, duos aut tres annos, sic fortè dici possit, præceptum Baptismi obligare, ut non nimium differatur, æquidem non fore nimium, etsi per duos aut tres annos differatur.

Imò fortè longiore;

Nec video quid efficaciter objici possit præter communem sensum & praxim fidelium, qui minùs solliciti esse solent pro pœnitentia aut amore Dei, quàm pro Baptismo. Omitto aliquibus parùm probabile videri, pœnitentiam, aut amorem Dei non obligare ex jure divino intra duos aut tres annos, de quo alibi.

Nisi obstaret praxis & sensus fidelium.

Dices; moraliter impossibile est hominem post Baptismum non peccare; ergo consultius est differre Baptismum usque in finem vitæ, ad recipiendam plenam omnium peccatorum remissionem quoad culpam & penam.

146. Obiectio;

Respondet, hanc utilitatem, accedente incertitudine, nullam debere reputari in consideratione illius, quæ sequitur ex susceptione Baptismi, ut consideranti facillè patebit ex dictis, potissimum cum & ipse Baptismus conferat gratiam habitualem & actuaalem ad imposterum peccata vitanda.

Responsio;

X x 2 Impono

143. Quilibet irrationabilis dilatio Baptismi non est mortalis.

Quilibet rationabilis nullum est peccatum.

Ut exhibeat exemplo Sanctorum.

144. Olim differretur usque ad certâ tempora;

Rit. Rom.

Si dixeris olim poterat differri Baptismus, etiam satis instructorum, imò debebat extra periculum vitæ, usque ad tempus Paschæ aut Pentecostes: Respondent aliqui jam cessante hæc lege, id non licere.

Sed non credo; quippe decet Baptismum adultorum, inquit Rit. Rom. Tit. de Baptismo §. de Baptismo adultorum, ex Apostolico instituto in Sabbato sancto Paschatis vel Pentecostes solemniter celebrari; quod etsi non obliget amplius, cur tamen non sit licitum, imò consultum servare?

Unde subiungit Rituale: *Quare, si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi, in*

Quod & modollicitum & consultum.

147.  
Quam  
possint &  
debeat  
baptizari.

Impono finem huic Sectioni, & dico, quod omnis & solus homo viator non baptizatus, qui corporaliter potest abluī, potest, & debet baptizari, nisi de quibusdam aliter ex speciali Dei providentia fuerit ordinatum. Unde neque Angeli neque homines in termino constituti, aut creaturæ inferiores baptizari possunt, minus debent. Similiter Satyri, aut geniti ex femina & bruto non sunt baptizandi: uti nec fetus extinctus, aut nondum animatus animā rationali.

An inter illos computandum sit monstrum. Rit. Rom.

Porro de monstris observetur Rit. Rom. tit. de Sacramento Baptismi. §. de Baptizandis parvulis ibi: *Monstrum quod humanam speciem non pre se ferat baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: Si tu es homo, ego te baptizo &c. Illud vero, de quo dubium est, mare aut plures sint persone, non baptizetur,*

donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora: tunc enim totidem erant corda & anima, hominesq; distincti, & eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo: Ego te baptizo &c. Si vero periculum mortis imminet, tempusq; non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: Ego vos baptizo &c.

Quando vero non est certum in ministro esse duas personas, vel quia duo capita, & duo pectora non habet bene distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, & postea alter sub conditione hoc modo: Si non es baptizatus ego te baptizo &c.

Et hæcenus de materia & forma Baptismi, de causis subiectiva & finali; quid superest nisi causa efficiens? de hac igitur erit

## SECTIO QUINTA.

### De Ministro Baptismi.

**B**aptismus ministratur vel solemniter cum ceremoniis ab Ecclesia præscriptis, vel privatim sine illis; vel validè tantum, vel validè juxta ac licitè. Nec dubitandum quin plures homines possint esse ministri Baptismi privati, quam solemnis, Baptismi validi tantum, quam validi juxta ac liciti. Si autem à me queritur, quis sit minister Baptismi privati, citius respondeo:

### CONCLUSIO I.

Quilibet homo viator ratione utens validè semper, & in necessitate licitè ministrat Baptismum privatim, servato tamen ordine.

2.  
Quis sit minister Baptismi resolvitur ex Concilio Florentino.

**E**st indubitata post decretum Eugenij in Concilio Florentino, ubi de ministro Baptismi sic inquit Pontifex: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus; sed etiam laicus, & mulier, imò etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesie, & facere intendat quod facit Ec-*

clesia. In qua definitione enumerantur omnes illi, de quibus potest esse aliqua dubitatio, & aliquando fuit.

Nec obstat quod loquatur in casu necessitatis; quia agit de Baptismo licito. Porro generaliter Baptismum à quocumque collatum, sive in necessitate, sive extra valere, decretum in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. & refertur. c. *Firmiter* de summa Trinitate ibi: *Sacramentum vero Baptismi... tam parvulo quam adultis in forma Ecclesie à quacunque ritè collatum, id est, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, proficit ad salutem.*

Et in particulari de hæreticis idipsum definit Trident. sess. 7. de Baptismo can. 4. his verbis: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit. Ubi nulla sit mentio necessitatis.*

Idem statuit de Judæo Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum c. 104. & refertur de Consec. dist. 4. c. 24. *A quodam, inquit, Indeo nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. His profecto si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur baptizati sunt... constat eos non esse denudè baptizandos. Quis autem nesciat raro occurrere casum necessitatis? Quo-*